



## **Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum**

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro secundo Decretalium : In Quo Ordo Judiciarius, Et Qvæ Ad Judicia Pertinent, Secundùm Utrumque Jus, Canonicum, & Civile Methodicè Tractantur, & Exponuntur ; Additus Est, Præter Synopticum Et Methodicum, Alius Index Alphabeticus A Pluribus Desideratus

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1675**

Titulus. XXVI. De Præscriptionibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98191)

## TITVLVS XXVI.

## DE PRÆSCRIPTIONIBUS.

I. Actum est Titulo præcedente de exceptionibus, tum dilatoriis, tum peremptoriis; quia verò præscriptio est quædam species exceptionis peremptoria, ideo hic Titulus priori subiungitur. Accipitur autem præscriptio primò latè, & generaliter; prout idem est, quod exceptio, sive oppositio ad excludendam intentionem, vel actionem alterius; ut patet ex titulo. ff. de exceptionibus, & præscriptionibus, & C. Eod. Secundò strictè, & specialiter pro exceptione peremptoria, per quam bonæ fidei possessor, post legitimi temporis decursum, Dominium rem suam pristinam repetentem, vel pristino Jure suo uti volentem, opponendo possessionem, certo tempore à lege definito repellere potest; adeoque contra eum peremptoriè excipere, seu præscribere. Et in hac posteriore acceptione de præscriptione hîc agitur. Eaque rursus dupliciter sumitur, vel prout est in fieri, sive in actu acquirendi; quomodo dicitur quis rem præscribere, antequam dominium, vel Jus in re acquirat, & præscriptio dicitur interrumpi: vel accipitur in facto esse, quando iam tempore legitimo completo, acquisitum est dominium, vel Jus in re, ut notavit Less. lib. 2. de iustit. c. 6. dub. 1. n. 2. & 3. Extat hic Tit. etiam in Sexto,

SECTIO I.  
DE PRÆSCRIPTIONE IN  
genere, & personis præscribentibus, ac  
rebus, quæ præscribi possunt.

## §. I.

*Quid sit Præscriptio, & an, ac quomodo ab usucapione distinguatur, & ob quas causas sit à Jure introducta?*

II. Assertio 1. Præscriptio definitur apud Covarr. in Reg. Possessor. p. 1. §. unic. num. 4. Exceptio ex tempore legibus definito substantiam capiens. In qua definitione exceptio, peremptoria scilicet, ut genus ponitur, reliqua loco differentiar: & quidem tempus ad omnem præscriptionem est necessarium; quia tamen regulariter solum tempus non sufficit; ideo additur in definitione, tempore (& modo) legibus definito, id est, cui extrinsecus accesserint ea, quæ à jure requiruntur, ut titulus, bona fides &c. de quibus postea. Covarr. c. l.

Usucapio verò definitur apud Jurisconsultum in l. 3. ff. de usurpar. & usucap. Adiectio (id est, acquisitio dominij Gl. ibid.) per continuationem possessionis (habitæ cum bona fide, ac iusto titulo, Gl. ibid. ff. possessionis) temporis lege definiti. Quæ definitio ab effectu desumpta est, non remoto, sed proximo, qui nimirum necessariò, & inseparabiliter usucapioni adhæret, & ex ea consequitur: nam usucapionis effectus, & quasi proprietas essentialis est, ut per eam adjiciatur, seu acquiratur dominium. l. Traditionibus; 20. C. de pact. quatuorvis aliàs res per proprietates accidentales solum, seu effectus extrinsecos congruè definiri non possit. Covarr. c. l. n. 1. Nam usucapio completè sumpta, seu in facto esse, est formalissimè acquisitio dominij, sive modus acquirendi do-

minium: adeoque ista definitio est quasi per effectum formalem, qui in conceptu usucapionis formaliter includitur.

III. Atque hinc colligitur, quomodo præscriptio ab usucapione differat, nam præscriptio est effectus usucapionis, ex qua oritur: ideo enim, quod aliquis ex diuturna possessione dominium acquisivit, vel Jus in re, contra pristinum dominum, vel quasi, repetentem rem eandem, exceptionem præscriptionis opponere potest. Aliquando tamen latius patet præscriptio, quàm usucapio, ita, ut omnis usucapio sit præscriptio, sed non vice versà: nam præscriptio, per quam tollitur Jus actionis personæ, vel Jus servitutis, quod alter habet, non est propriè usucapio; quia nullius rei dominium, vel quod dominium acquiritur præscribenti, est tamen præscriptio: quamvis usucapio etiam generaliter possit accipi pro dominij acquisitione, vel alieni Juris peremptione, per quam liberatur quis obligatione, quæ alteri erat obstructus; & sic æquè latè patet præscriptio, & usucapio; ut notat Less. cir. cap. 6. num. 3. Laym. lib. 3. Theol. moral. tract. 1. cap. 8. num. 1.

Solent præterea multi DD. in eo distinguere præscriptionem ab usucapione, quòd hæc sit rerum mobilium tantum, illa verò immobilium. Verùm hæc distinctio non habet fundamentum in Jure: ut patet ex princ. Iustit. de usucap. & præscriptio ubi usucapio etiam ad res immobiles refertur, & ex l. unic. C. de usucap. transform. ubi sublata est omnis differentia inter usucapionem, & præscriptionem. Nam præscriptio locum habet in rebus mobilibus cum post illarum usucapionem, opponi possit exceptio præscriptionis contra priorem dominum; ut ostendit Covarr. cir. loc. n. 2. & 3. Vnde jam passim pro synonymis accipiuntur hæc nomina. Et in hac acceptione usucapio, seu præscriptio definitur communiter à DD. quòd sit adiectio, seu acquisitio dominij per continuationem possessionis tempore, & modo legibus

gibus definito; ubi nomen dominij latius accipi debet, prout comprehendit etiam acquisitionem aliorum jurium, quæ præscribi possunt, ut usufructus, servitutis &c. imò etiam liberationem à debito aliquo; ut ex dictis patet.

IV. Assertio 2. Præscriptio, seu usucapio Jure Civili introducta fuit. *Princ. Instit. de usucap. & approbata à Jure Canonico, ob bonum publicum, ne diu, & fere semper quarundam rerum dominia incerta essent. l. i. ff. de usurp. & usuc. & ut aliquis litium finis esset. l. ult. ff. pro suo. quæ pene immortales forent, si liceret post diutinam rerum possessionem eas repetere à bonæ fidei possessoribus; ac, ne possessores ejusmodi propè immortali timore tereantur; ut ait Justinian. in l. Cum nostrissimi 37. in princ. C. de præscr. 30. vel 40. annor. dum in perpetuo metu forent; ne res ab ipsis possessa evincantur: unde fieret, ut nemo auderet fundos colere. Tum etiam, ut hac ratione segnitias, ac desidia hominum, qui res suas, ac jura in Judicio persequi negligunt, exacuatur, dum ea puniuntur ademptione dominij, juxta l. 2. C. de ann. except. & c. Vigilanti 5. h. t.*

V. Sed objici potest primò. Dominium singulorum descendit ex jure gentium. *l. Ex hoc Jure; 5. ff. de justit. & jur. At Jus Civile non potest tollere Jus gentium. §. Sed naturalia Instit. de jur. natur. gent. & c. Ergo non potest dominium alicui auferre per præscriptionem. Resp. Jus gentium, vel naturale, quod dicitur, nemini auferendum esse dominium legitime acquisitum, simul etiam dicitur, ut Reipublicæ pareamus; adeoque & legi, quæ præscriptionem induxit, ob publicum bonum. Harprecht. Instit. de usucap. in princ. num. 23. & 24.*

Objicitur secundò. Usucapio repugnat juri naturæ: nam hoc jure omnia sunt communia: divisio verò dominiorum jure gentium introducta est; & consequenter etiam translatio dominij rerum ab uno ad alteram. Verùm jus naturæ non præcipit communionem bonorum, nec prohibet divisionem eorum: imò usucapio, seu præscriptio maxime consentanea est juri naturali: nihil enim tam conveniens est naturali æquitati, quam voluntatè Domini in alium rem suam transferre volentis ratam haberi. *§. Per traditionem; Instit. de rer. divis. qui autem rem suam patitur utucapi, consentite, & alienare videtur. l. Alienationis; 28. ff. de V. S.*

Objicitur tertio. Nemo locupletari debet cum alterius detrimento, & injuriâ. *Reg. 206. ff. de reg. Jur. & reg. 48. eod. in 6. id quod fit, si usufrucipiens dominium acquirat rei alienæ. Resp. Non locupletari iniuste; quia, qui tam diu passus est rem suam ab alio possideri, censetur eam quasi pro derelicta habuisse; ut proinde res, veluti in nullius dominio, cedat prius occupanti: & sibi imputare debet pristinus Dominus, quòd intra statutum tempus rem suam inquirere, & à possessore recuperare intermiserit. Greg. Tholos. Syntag. Jur. lib. 4. c. ult. Deinde postquam res est legitime præscripta, non est amplius aliena, sed dominium ex dispositione Juris translatum in possessorem: unde si pristinus Dominus rem peteret à possessore, is privaretur re jam legitime acquisitâ; adeoque id fieret cum detrimento, & jacturâ novi Domini. Harprecht. c. l. n. 48.*

Objicitur quartò. Id, quod nostrum est, non potest sine facto nostro in alium transferri. *Reg. Jur. 11. in ff. Resp. Regula illa non habet locum in ijs, quæ*

vi, ac potestate legis fiunt: deinde ex præsumptione Juris censetur consensisse in translationem dominij, qui tanto tempore negligit rem suam persequi. *Harprecht. c. l. n. 40. & 41.*

Objicitur quintò. Tempus non est modus introducendæ, vel tollendæ obligationis. *l. Obligatio-num; 44. §. 1. ff. de oblig. & act. Præscriptio verò omnem vim habet ex cursu temporis. Resp. Præscriptio non habet vim transferendi dominium ex solo cursu temporis, sed ex possessione per tempus definitum, cum justo titulo, & bonâ fide continuatâ. Harprecht. cit. loc. num. 49. apud quem plura de hac re legi possunt.*

VI. Ceterùm usucapio, seu præscriptio locum habet, ac vim non solum in foro externo, sed etiam in foro interno, seu conscientia, ita, ut is, qui præscripsit, non teneatur ad rei restitutionem, ne quidem in foro conscientia, etsi post completam præscriptionem cognoverit, alienam esse, vel potius fuisse: & quamvis nulla culpabilis negligentia prioris Domini in re sua inquirenda intervenerit, nisi hic per Judicem ex causa justa restituatur in integrum; ut ex veriore sententia docet *Gl. in cap. Vigilanti; 5. V. Noverit. h. t. & ibid. Abb. n. 6. Covarr. cit. l. n. 3. Silvest. in summ. V. Præscriptio 1. q. 13. Molin. tract. de justit. dif. 61. n. 6. & seqq. Less. cit. cap. 6. n. 50. Laym. cit. loc. n. 3. & alii Theologi, & Jurisperiti communiter, contra nonnullos apud Covarr. cit. loc. p. 3. §. 2. Ratio est; quia, qui præscripsit, jam dominium acquisivit rei alienæ. *l. 3. ff. de usucap. & l. Traditionibus; 20. C. de pact. princ. Instit. de usucap. & quidem non tantum dominium utile, sed etiam directum, tam in bonis immobilibus, quam mobilibus; quia leges, & Canones loquuntur indistinctè de dominio, nec restringunt ad dominium utile; ut patet ex cap. Clerici; 11. caus. 16. q. 4. ubi dominium per præscriptionem acquisitum proprietas vocatur, & in l. Omnes; 4. in fine. C. de præscr. 30. vel 40. ann. dicitur, eum, qui præscripsit, esse plenissimâ munitione securum. Covarr. in cit. reg. Possessor. p. 3. in princ. n. 2. & 3. Fachin. lib. 1. Controv. Jur. cap. 70. Less. c. l. n. 51. Si ergo completum dominium acquisivit rei præscriptæ, etiam si post exactum legitimum tempus, possessor cognoverit, rem ad alterum pertinuisse, eam tamen tanquam suam titulo præscriptionis factam retinere potest, nullòque Jure cogi ad restitutionem, cum pristinus Dominus omne Jus, & consequenter etiam actionem amiserit; & quia res præscripta jam non alterius, sed ipsius est, qui præscripsit, adeò, ut eam postea tanquam dominus à quovis possessore vindicare possit. *l. Siquis; 8. C. de præscript. 30. vel 40. ann.***

Quin imò si is, qui rem legitime præscripsit, eam ex juris errore restituat pristino domino, ratus, adhuc esse alienam, & restitutioni obnoxiam, tanquam indebitè datam repetere, & ut suam vindicare potest, juxta tit. ff. & C. de condit. indeb. nam, quamvis ignorantia Juris non excuset, quando agitur de acquirendo: excusat tamen, cum agitur de amittendo rem jam acquisitam, juxta *l. 7. ff. de Jur. & fact. ignor. ubi dicitur: Juris ignorantia non prodest acquirere volentibus; suum verò petentibus non nocet. Laym. cit. cap. 8. n. 23. Neque dominium rei præscriptæ acquisitum per solutionem ex errore factam amittitur, eum non sit vera, sed erronea donatio, ideòque*

que sic nulliter datum tanquam civiliter, & naturaliter indebitum reperi potest. *Cast. Palao cit. dif. un. pun. 22. §. 17. n. 6.*

VII. Idque procedit, etiam si nulla culpa, vel negligentia pristini Domini intercesserit: nam non ob hanc solam causam, ut negligentem Domini puniantur, usucapio, seu prescriptio à Jure introducta est; sed multò magis ob alias causas ad bonum publicum spectantes, nempe, ut dominia rerum sint certa, & frequentia litium ex Republica exterminetur; ut supra dictum. Imò etiam si negligentia pristinorum Dominorum esset unica, & principalis causa introducendæ prescriptionis, non tamen ideo cessaret lex constituens usucapionem, quæ universalis est, & in finem universalem tendit, nisi ipsa causa, sive ratio legis in universum, & non in quibusdam tantum casibus cessaret, ac deficeret. *Covarr. cit. reg. possessor. p. 3. §. 2. n. 3.* Neque obstat, quòd nemo sine sua culpa debeat privari re sua propriâ: idèòque non habeat locum prescriptio, nisi intercesserit culpa prioris Domini: nam potest Jus, vel Princeps de bonis subditorum disponere, prout necessitas, vel utilitas Reipublicæ exigit; adeòque potest aliquem privare dominio rei suæ, etiam sine culpa sua, ob bonum commune; ut fit in proposito. *Covarr. in cit. reg. p. 1. §. unic. num. 5. Laym. cit. cap. 8. num. 4.* præterquam quòd, cum dicitur, usucapionem inductam esse, ob culpam, vel negligentiam pristini Domini, id non intelligendum est necessariò de culpa Theologica, ac propriè dicto peccato; sed de culpa, seu negligentia civili, quæ sæpe tantum involuntaria omisso est, & tamen aliquo modo civiliter puniri potest, ob bonum publicum, ut aliorum diligentia in rebus suis inquirendis excitetur. *Laym. cit. loc.* Non obstat etiam, quòd is, cui res adjudicata est per sententiam Judicis subnixam falsâ præsumptione, teneatur ad restitutionem. Nam in primis Judex per suam sententiam non intendit transferre dominium, sed solum declarare, cuius ex litigantibus res sit: unde, si sententia fundetur in falsa præsumptione, ipsa quoque non tenet, nec est servanda in conscientia: at verò lex, vel Princeps per prescriptionem intendit transferre dominium rei in prescribentem, ita exigente bono publico: deinde prescriptio non nititur potissimum falsâ præsumptione negligentia prioris Domini, sed exigentiâ boni communis. *Less. cit. cap. 6. n. 51.*

VIII. Illud hic queri potest, an prescriptio renunciarî possit, v. g. pacto, ne res prescribatur? Probabile est, posse; ut docet *Palao cit. dif. unic. pun. 22. §. 1. num. 6.* quia prescriptio primò, & principaliter est inducta in favorem, & commodum privatum prescribentium, & secundariò tantum ob bonum publicum; idèòque ei renunciari potest. Accedit, quòd in prescriptione utilitas privata separari possit à publica, quæ consistit in eo, ne dominia rerum sint incerta: sedposito pacto, ne res aliqua prescribatur, dominium illius non manet incertum, sed reservatum est primo possessori, & penes illum manet. Aliud est in dote, in qua utilitas privata à communi, seu publica separari non potest; idèòque non valet pactum, per quod dos mulieris deterior fiat. Verùm difficile videtur, prescriptionem esse inductam secundariò tantum ob bonum publicum, principaliter verò in favorem prescribentium.

## §. II.

Quinam in genere possint prescribere, vel non? & adversus quos possit prescribi, vel non?

IX. Assertio 1. Omnes illi, qui sunt capaces acquirendi domini, possunt prescribere, seu usucapere; cum usucapio sit modus acquirendi domini. Et hinc non solum paterfamilias, sed etiam filiusfamilias quoad bona adventitia, sed etiam filiusfamilias spectat ad filium, & maxime quoad castrensia, & quasi castrensia, usucapere potest. *l. Sceptus 4. §. 1. junct. Gl. V. Et maxime. ff. de usuc. Hosten. in Summ. h. t. n. 3.* Similiter & pupillus, tutore auctore, imò etiam sine illius auctoritate, usucapere potest, modò animum possidendi habeat. *cit. l. 4. §. 2. Ut quia est doli capax, & pubertati proximus. Gl. ibid. V. Animum possidendi.* Item infans, sed tutore auctore, sine quo possidere non potest. *l. Quamvis 32. §. Infans. ff. de acquir. poss. Gl. in cit. l. 4. V. Pupillus. Fr. riosus quoque, quod ante furorem possidere cepit, usucapit, cum non desinat possidere. cit. l. 4. §. Furius Jus 5. & ibi Gl. V. Usucapit; & l. pen. §. Eun. qui. ff. de.*

Similiter usu rationis, & libertate arbitrii destitutus, ut amens, incipere prescriptionem non potest, quamvis eam continuare possit, si cepta sit, dum est sanæ mentis, vel ab ipso, cui successit, quia præsumitur in priore voluntate permanere. *Palao cit. p. 22. §. 3. num. 1.*

Prohibetur autem usucapere in primis servus, quia nec possidere suo nomine potest. *cit. l. 4. §. Servus. l. Qui in servitute 118. ff. de R. I. sine possessio- ne autem non currit prescriptio, quamvis Dominus etiam ignorans, ex causa peculiari per servum possit possidere, & usucapere. l. 1. §. Item acquirimus. ff. de acquir. poss.* Secundò Clerici non possunt prescribere bonorum suorum beneficiorum. *cap. Clerici 11. caus. 16. q. 3. cum non possint beneficia obtineri sine Canonica institutione. cap. 1. de reg. jur. in 6. Covarr. in cit. reg. possessor. p. 2. §. 10. n. 9.* Tertio Prætorid rem possidens, usufructuarius, creditor rem sui pignori datam, & omnes alij, qui non suo, sed alieno nomine possident, usucapere, seu prescribere nequeunt. *Gl. in cit. cap. Clerici; V. In jus proprium, ac denique universim loquendo, qui non est capax acquirendi domini, & possessionis, usucapere non potest, cum usucapio sit species alienationis. l. Alienationis 28. ff. de V. S. in omni autem justa alienatione, tam ex parte alienantis, quam acquirentis, requiritur capacitas acquirendi. Gregor. Tholos. Synag. Jur. uniu. lib. 40. cap. 3. n. 2.*

X. Assertio 2. Non potest prescribi contra certas personas, quæ scilicet in Judicio stare, agere, Jura sua tueri, vel bona administrare non possunt; ut contra pupillum, ratione minoris ætatis; contra filiumfamilias, ratione subjectionis, vel ratione impedimenti extrinseci, v. g. captivitatis, vacationis Prælaturæ &c. contra has enim interim durante impedimento, non potest inchoari, nec currit prescriptio; ut ex infra dicendis patebit.

§. III. Quid

## §. III

## Quæ res præscribi possunt, vel non possunt?

XI. Assertio prima. Regulariter omnes res corporales, sive eæ mobiles sint, sive immobiles; præscribi, seu usucapi possunt, nisi lege aliqua, vel speciali ratione prohibeantur. *Silvest. in summa. V. Præscriptio; 2. q. 1. Hostiens. in Summ. h. t. in priore rubric. n. 4. Greg. Tholosan. cit. lib. 40. c. 2. n. 1.* Res verò incorporales, ut lura, servitutes, actiones, sicut propriè possideri non possunt, ita nec præscribi, seu usucapi. *l. Possideri; 3. in princ. ff. De acquir. poss. l. Servus; 43. §. 1. ff. De acquir. domin. & ibi Gl. V. Usucapionem. l. Sequitur; 4. §. Si unica. ff. De usucapione. Quia tamen utilitatis causâ introductum est, ut res incorporales quasi possideantur, hinc fit, ut etiam quasi usucapiantur, sive longo tempore, & usu acquirantur; prout sumitur ex *l. Usucapionem; 9. & l. Seq. §. 1. ff. eod. l. ult. C. De Præscript. long. temp. Hostiens. c. l. n. 4.**

XII. Assertio secunda. Res illæ, quæ in hominum commercio non versantur, adeoque sunt in nullius dominio, nullo tempore usucapi, seu præscribi possunt; ut sunt res Sacræ, & Religiosæ. *§. Sed aliquando; Instit. de usucap. & l. Alienationem; 9. ff. eod. Item liber homo, qui nullo tempore præscribi potest, ut fiat servus, licet possessor bonâ fide illum emerit; putans, esse servum. cit. §. Sed aliquando; & cit. l. Usucapionem; & l. ult. C. De longi temp. præscript. quæ pro libertate & c. junct. Gl. V. 66. annorum.* Contrâ verò servus præscribere potest libertatem contra dominum, si per XX. annos bonâ fide gesserit se pro libero, etiam sine titulo libertatis. *cit. l. ult. C. De longi temp. & c. & ibi Gl. V. Bonâ fide; & V. Per 20. idque favore libertatis statutum est. Alii tamen dicunt, quod inter præsentem etiam X. annis præscribi possit libertas, ne deterior sit conditio libertatis, quam aliarum rerum; ut refert *Gl. fm. ibid.* & quia saltem in aliis legibus conceditur brevius tempus ad præscribendum præsentibus, quam absentibus. *Cast. Palao cit. dis. unic. p. 22. §. 13. n. 4.**

Similiter non possunt præscribi, nec in totum, nec in partem, res publicæ, quæ ad publicum usum, & commodum sunt deputatæ; ut, viæ ac plateæ publicæ, postes, fora, theatra &c. *cit. l. Usucapionem; 9. ff. De usuc. l. Præscriptio; 7. C. De operib. publ.* Ratio est; quia hæc, quippe omnibus communia à privatis possideri non possunt. *l. 1. §. fm. ff. De acquir. poss.* Idque procedit, etiam si populus iis uti destinat. *l. 2. ff. De via publ. & itin. publ.* quia satis est, quod eis adhuc uti possit, & ad eum finem fuerint designata. *Molin. tr. 2. de justit. dis. 79. n. 8. Palao c. l. §. 1. §. n. 1.* Huc pertinent etiam res fisci, quæ usucapi non possunt. *§. Res fisci; Instit. de usuc. quo nomine venit publicum ætarium Principis, quasi proprium eius peculium.* Id autem intelligendum est, de rebus, seu bonis fisco acquisitis, non autem acquirendis. *Gl. in cit. §. Nec fisci in casu; & quod ordinario tempore trium X. vel XX. annorum præscribi non possunt. Gl. ibid. V. Non potest.*

XIII. Assertio tertia. Res furtivæ, vel vi (expulsivâ; non compulsivâ per metum) possessæ, seu occupatæ; ut; cum quis ex possessione rei immobilis violenter dejicitur, præscribi nequeunt, non solum à fure, vel violento possessore, qui ratione malæ fidei eas præscribere non potest, sed neque à quibuscunque aliis, qui bonâ fide huiusmodi res ab eis emerint, vel quocunque alio iusto titulo acceperint, ac possederint, propter vitium furti, aut violentiæ ipsi rebus inhærens; prout habetur in *§. Furtivæ; & ibi Gl. V. Vi Instit. de usuc. l. Sciens; 7. C. De usuc. pro emptore. l. Vitia; 11. C. De acquir. poss.* ubi dicitur: vitia possessionum à majoribus contracta perdurant, & successorem auctoris sui culpa comitantur.

XIV. Id autem limitandum est primò, quod eiusmodi res furtivæ, ac vi possessæ non possunt præscribi tempore ordinario trium, 10. vel 20. annorum; ut patet ex *cit. §. Furtivæ; ibi: Prædicto longo tempore bonâ fide possessæ: possunt tamen præscribi tempore extraordinario, seu longissimo XXX. vel XL. annorum, si tanto tempore bonâ fide possessæ fuerint; quia per præscriptionem longissimi temporis purgatur vitium furti, vel violentiæ, quod affecta erat res, & omnis actio extinguitur. l. Sicut; 3. & l. Omnes; 4. C. De præscript. 30. vel 40. ann. Gl. in cit. §. Furtivæ; V. Longo tempore; & junct. addit. Molin. cit. dis. 79. n. 1. & alii DD. communiter.*

Limitatur secundò. Nisi res furtivâ, vel vi possessâ in potestatem domini sui redierit; tunc enim vitio purgato, ab alio bonæ fidei possessore usucapi potest tempore ordinario. *§. Aliquando; Instit. eod. cit. l. Sciens. C. De usuc. pro empt.*

Limitatur tertio. Etsi bonæ fidei possessor non possit rem furtivam, vel immobilem vi possessam, propter vitium rei, ordinario, ac longo tempore 10. vel 20. annorum præscribere, fructus tamen ex re alienâ perceptos facit suos, juxta *l. Bonæ fidei; 48. §. 1. in fine; ff. De acq. ver. domin. l. Si alienâ res; 10. §. Suo modo. ff. De usucap. ubi Gl. V. Nec enim; junct. Gl. marg. lit. a. ait: Partus rei furtivæ non est pars, postquam editus fuit; ideòque usucapi potest, & tradit etiam *Gl. in l. Ubi lex; 24. V. Nihil; ff. eodem.**

XV. Ceterùm res furtiva hoc loco dicitur, non tantùm, quæ furto subtracta est, sed etiam quævis alia res aliena, dummodo illa fuerit mobilis, eamque venditor sciens prudens distraxerit, contra domini voluntatem: talis enim furtum committere censetur, ac proinde mala fides venditoris, vel ex alia causa alienantis, ac tradentis huiusmodi rem furtivam efficit, ut neque à tradente, neque ab eo, qui bonâ fide accepit, ac possidet, usucapi possit. *§. Quod autem; in fine Instit. de usucap. ubi Gl. V. Competat; ait; quod vitium rei comitetur rem, ad quemcunque ea pervenerit, sive quicunque rem occuparit. l. 1. & l. Sciens; 7. C. De usuc. pro empt. l. 2. C. De usuc. pro donat. Quod si tamen is, qui bonâ fide accepit rem alienam mobilem, bonâ etiam fide eam alienavit, res huiusmodi non potest dici furtiva; eum furtum sine animo, & affectu furandi, seu rem alienam, invito domino, fraudulenter contrahendi, committi nequeat. *l. Furtum; 32. ff. De usucap. Quare, si heres rem defuncto commodatam, locatam, vel apud eum depositam alteri vendiderit, bonâ fide, putans esse hereditariam,**

reditariam, dubium non est, quin illam bonâ fide accipiens intra tempus legitimum usucapere possit: non obstat enim hoc casu vitium furti; cum utique heres, qui bonâ fide rem illam tanquam suam alienavit, furtum non committat. §. *Sedramen*; *Instit. de usuc. l. Potest*; 36. ff. *eodem*. An verò ipse heres rem defuncto commodatam, vel apud eum depositam præscribere possit, si nesciat, alienam esse, infra dicitur. Si verò aliquis possessionem rei immobilis, v. g. fundi vacantis propter longam absentiam, vel negligentiam domini, vel quia sine successore decessit, absque vi nanciscatur, eamque postea sciens, ac prudens alteri bonâ fide accipienti tradiderit, sanè res hæc immobilis non erit furtiva (in rebus enim soli furtum non committitur) neque vi possessa, ut in facto supponitur: ideoque, quamvis is, qui rem talem primò occupavit, eandem præscribere nequeat, cum malâ fide possideat, sciens, se alienum fundum occupasse: alteri tamen, qui bonâ fide accepit, & possedit, diutina, & indubitata possessio auferri non debet. §. *Quod autem*; *ad eas res. Instit. de usuc. l. Furtum*; 37. §. 1. & l. *Seq. ff. eod.* Ex quo inferitur, in rebus immobilibus ad usucapionem, ceteris paribus, sufficere solam bonam fidem accipientis: in mobilibus verò requiri etiam tradentis. l. 1. & 2. C. *De usucap. pro donat.*

XVI. Assertio quarta. Unus ex heredibus, vel sociis honorum, non potest præscribere hereditatem, vel rem communem, quam nondum inter se diviserunt, contra reliquos coheredes, vel socios, etiam si longissimo tempore eam possederit, quin eis reddere debeat portiones suas; quia non suo tantum, sed omnium coheredum, vel sociorum nomine censetur rem communem possidere. l. *Si communem*; 10. ff. *Quemadm. servitut. amit.* *Molin. cit. dis. 79. n. 2.*

XVII. Assertio quinta. Ea, quæ sunt meræ facultatis, seu liberæ, & gratiæ voluntatis, præscribi non possunt; ut colligitur ex l. 2. ff. *De via publ.* ubi dicitur: *Viam publicam populus non utendo amittere non potest, etiam si centum annis non ivit, ut addit Gl. mag. ibid. & hinc colligitur, inquit Gl. margin. ibid. lit. c. præscribi non posse ea, quæ meræ sunt facultatis.* Idem docet *Covarr. in Reg. possessor. p. 2. §. 4. n. 6. Gabriel lib. 5. de præscript. concl. 10. Gail. lib. 2. obs. 18. n. 4.* Ratio est; quia ex talibus actibus nulla obligatio induci potest, cum nullam contineant.

Ex quo inferitur primò. Quòd jus offerendi, sive reluendi pignoris nullo tempore, ne quidem 30. annis præscribarur; tum propter defectum possessionis in creditore; tum quia in potestate debitoris situm est, pignus datum, quodcumque voluerit, solutione debiti redimere. *Gail. c. l. n. 5. Mynsing. cent. 6. obs. 70. n. 20.* Inferitur secundò. Quòd neque per 30. vel 40. annos præscribi potest contra refectionem v. g. molendinorum, vel eorundem ædificationem in solo proprio. Unde si per annos centum, vel amplius subditi iverint ad molendinum domini, vel ad eiusdem furnum, ut panes coquant, non tamen jure præscriptionis cogi possunt, ut deinceps eant: vel, ut alii in suo fundo molendinum ædificent, jure præscriptionis impediri non possunt: nisi aliud obtineat secundum consuetudinem provincie; quia ea, quæ in mera facultate consistunt, præscribi non possunt:

præterquam si is, qui meram facultatem habet, prohibitioni interpositæ cum patientia acquieverit; quia tunc etiam ea, quæ meræ facultatis sunt, præscribi possunt; ut, si quis prohibitus ab ædificando, vel refectione destiterit, vel mandato, ne ædificet, obtinuerit; & tunc enim præscriptio locum habet. *Covarr. c. l. ubi aliud exemplum dat*; nam, qui amicum longissimo tempore hospitio liberaliter recepit, cogi invitus nequit idem officium deinceps illi exhibere.

Idem confirmatur ex *Reg. apud Jurisconsultos recepta*, teste *Laym. lib. 3. tract. 1. c. 8. n. 8.* Quòd per actus liberos non inducitur præscriptio, id est, dum aliquis liberè, & non tanquam ex obligatione aliquid tibi præstat, non potest præscribere, cum non sit in possessione juris erga ipsum, cui ex altera parte correspondet obligatio: ex actibus enim merè voluntariis possessio, vel quasi acquiri non potest; sine possessione autem non procedit præscriptio. *Covarr. c. l.*

XVIII. Assertio sexta. Limites, seu fines Provinciarum, Episcopatum, & Parochiarum, & quæ huiusmodi limitibus coherent, præscribi non possunt: ut, si Ecclesia aliqua in confinio alicuius Episcopatus sita sit; dummodo constet, tales fines fuisse legitimâ auctoritate præfixos, & constitutos: ut habetur in c. *Super eo*; 4. *infr. de Parochiis.* & ibi *Gl. in notat. c. Quicumque*; 4. & *duobus seq. caus. 16. q. 3.* ubi etiam ratio redditur: Ne provinciarum termini confundantur, & ne quis terminos alienos usurpet. Idque intelligunt communiter DD. quòd neque per centum annos, vel tempus immemorabile huiusmodi fines præscribi possunt. *Abb. c. l. n. 2.* quòd etiam plerique extendunt ad limites Regnorum, Comitatum, & Dominiorum secularium: sed de hoc etiam instituto agit *infr. lib. 3. tit. 29.*

Verumtamen fines, sive limites prædiorum, seu agrorum Ecclesiasticorum 40. annis præscribi possunt, non autem fines Ecclesiarum, seu Parochiarum; ut habetur in c. 2. *infr. de Gl. V. Fines*; cit. *caus. 16. q. 4. & in c. Quia indicante*; 9. h. t. Nam, cum inter duos Abbates controversia orta esset circa fines agrorum, Papa Alexander III. iussit, ut ea agrorum definitione terminetur: simulque mandavit Judicibus à se delegatis, ut ad loca, de quibus est contentio, accedant, & in præsentia sua illam faciant finire, exceptione tamen præscriptionis annorum utrique parti reservatâ.

XIX. Ubi notandum primò. Si lis incidat de agrorum finibus; tunc mitti debet mensor, qui agrum metiatur, quantum quisque inter litigantes possideat, plus, vel minus, partibus præsentibus, & Judice, si necesse sit, & ipse agri mensor licentiam accipiat, ac ipsius sententiâ, seu Judicio stabitur; prout constat ex hoc c. Quòd si agri mensor falsum pronunciavit, datur contra eum actio in factum, ad prestandum, quod interest Actoris, dummodo per dolum, vel laram culpam, quæ æquiparatur dolo, falsum dixerit: non autem datur actio locati; quia, cum singularis industria hominis hic interveniat, id, quod datur, non censetur dari tanquam merces operis, sed tanquam remuneratio, seu honorarium operis præstiti; sicut habetur in l. 1. ff. *Si mensor fals. mod. dixerit.* Similiter Jurisperitus, Notarius, Advocatus,

Judex, Medicus, Confessarius, si pro præstito opere honorarium accipiant, vel remunerationem, non possunt ad præstandum interesse conveniri actione locati propriè dictâ, sed tantum actione in factum, si dolum, & latam culpam commiserint. *Abb. hic n. 3.*

Notandum secundò. Fines Ecclesiarum, & prædiorum Ecclesiasticorum bene præscribi possunt, quoad jus proprietatis, ita, ut terra, seu solum ipsum præscribatur, quoad dominium, ut alicuius efficiatur proprium: non tamen præscribuntur fines, quatenus fines sunt, & habent rationem finiendi, seu terminandi, ita, ut unius fundi limes extendatur, alterius restringatur, ne confundantur termini. *Abb. hic in fine.*

## §. IV.

*Vtrum Subditi per præscriptionem se eximere possint ab obedientia Principis, vel alterius inferioris Prælati, aut legitimi Superioris?*

XX. Assertio prima. Contra ea, quæ Principi, ut Imperatori, vel Regi, debentur, & competunt, in recognitionem supremi Principatus, & universalis dominii, seu potestatis, & subiectionis ei debentur, non potest à subditis præscribi, juxta *l. Comperit; 6. C. De præscript. 30. vel 40. annorum*, ubi habetur, quòd tributa, & census, quæ in subiectionis signum Principi debentur, nullo tempore præscribi possunt, sicut nec ipsa subiectionis, ita, ut quis ab iis solvendis maneat exemptus: quare adversus ea, quæ ad supremam Principis potestatem intrinsecè spectant, præscribi non potest à subdito, qui se subditum fateatur, v.g. ut legibus Principis non obligetur, vel, ut ab eo non coercetur, quando ratio, & justitia id postulat, ut non appelletur ab inferioribus Judicibus ad summum Principem &c. *Covarr. in Reg. possessor p. 2. §. 2. n. 7. Molin. tract. 2. de justit. dis. 74. num. 2. & 3.* Aliud est de censibus, & tributis, quæ non in recognitionem supremæ potestatis, sed in subsidium, ob publicam necessitatem quandam, solvuntur: hæc enim præscribi possunt à subditis; ut docet *Abb. in c. Ad audientiam; 13. n. 18. de quibus plura infra.*

Potèd licet per præscriptionem fieri non possit, ut subditus manens subditus exemptus sit ab iis, quæ Principi, ratione supremæ potestatis erga subditos, competunt, v.g. ab eius imperio, Judicio, seu Tribunali &c. potest tamen, mediante præscriptione, ex subdito fieri non subditus, & eximi ab eius potestate; prout multi Principes subiecti Romano Imperio, præscribendo libertatem, ab ipso exempti sunt; ut notat *Card. Lugo tom. 1. de justit. dis. 7. sec. 6. n. 85.* Nemo tamen per præscriptionem, vel etiam ipsius S. Pontificis concessionem se eximere potest à potestate, quæ illi tanquam supremo Christi Vicario in omnes fideles jure Divino competit; contra quod nullo tempore præscribi potest, sicut nec contra DEUM, cuius Vices gerit, v.g. ut Christianus Papæ in spiritualibus, quæ ad animæ salutem pertinent, non sit subiectus; quia ad intrinsecam Papalis potestatis à Christo profectæ institutionem spectat, ut sit omnium fidelium supremus Ordinarius Pastor. *Abb. in cit. c. Ad audientiam; n. ult. h. t. Molin. c. l. n. 1. Laym. in cit. c. Quod translationem; n. 2. de offic. leg.* An autem, & quomodo alias contra Papam præscribi possit, saltem tempore immemoriali, infra explicabitur.

XXI. Assertio secunda. Sed neque subditi contra obedientiam Prælati inferioris, v.g. Episcopi, vel alterius legitimi Superioris præscribere possunt, ut constat ex *c. Cum non liceat; 12. h. t.* Nam, cum Archiepiscopus Bracharenis conquestus esset Papæ Innocentio III. de quibusdam Prioribus, quorum Ecclesiæ in ipsius Diocesi sitæ erant, quòd obedire ipsi, tanquam Episcopo suo contumaciter reculent; ideo mandavit Pontifex illis Prioribus, ut, cum non liceat membra à capite recedere, non obstante temporis præscriptione, dicto Archiepiscopo Bracharenis, & Ecclesiæ eius obedientiam, ac reverentiam, sicuti alii Clerici eius Diocesis, impendant. Ratio est; quia ad præscriptionem requiritur possessio: dum autem aliquis se gerit pro subdito, non est in possessione immunitatis, seu exemptionis: ergo non potest præscribere contra Superiorem, quòd minus ei obedire, & reverentiam jure Divino, & naturali debitam exhibere teneatur: idque colligitur ex rubrica huius c. ubi dicitur: Subditus non præscribit obedientiam contra Prælatum; ut tradit Innocent. hic.

XXII. Notandum primò. Episcopus de jure communi habet jurisdictionem in omnes Clericos suæ Diocesis; ideòque omnes debent ipsi subesse, & obedire. *c. Omnes; 10. caus. 16. q. 7. c. Monasteria; 17. caus. 18. q. 2.* Nisi ostendant, se exemptos; *c. Cum dilecto; 4. in fin. de confirm. util.* quia possessor non tenetur probare titulum possessionis suæ. *Gl. hic V. Sæ Diocesis.*

Notandum secundò. Etsi non possit quis per viam præscriptionis se eximere ab obedientia Episcopi sui, ita, ut nulli, nec Papæ quidem, sit subiectus: potest tamen Ecclesia intra Diocesi sita per viam præscriptionis se eximere à jurisdictione Episcopi, ita, ut immediatè subiecta fiat Sedi Romanæ: tum enim principaliter agitur de jure S. Pontificis, quem certum est, posse contra Ecclesiam inferiorem v.g. Episcopalem præscribere; ut notat *Gl. in. ibid. & Abb. n. 13.* Deinde, licet subditi unius Episcopi non possint libertatem, sive exemptionem ab eius obedientia, & subiectione præscribere simpliciter, sive exclusivè, ita, ut nulli subjiçantur; possunt tamen eam præscribere translativè, ita, ut alteri Episcopo, vel Archiepiscopo subjiçantur: & consequenter etiam unus Episcopus, seu Prælatum potest præscribere contra alium, ut, qui erant subditi istius, fiant subditi præscribentis, prout expressè habetur in *c. Cum ex officio; 16. ibi: Etsi alius contra alium præscribere possit utrumque. h. t.* & sic subditi viâ præscriptionis liberantur à jurisdictione prioris Prælati, & subjiçantur alteri. *Abb. hic n. 13.*

Similiter quamvis tota aliqua Communitas, Provinciâ, vel Regnum possit se omnino eximere per præscriptionem temporis immemorialis ab Imperatoris jurisdictione, accedente eiusdem scientiâ, & patientiâ; ut docet *Bart. in l. hostes; 24. n. 6. ff. De captivis; & alii apud Felin. in hoc c. n. 10. & seqq. privati*

vati tamen non possunt præscribere talem immunitatem, sive exemptionem exclusivè, ita, ut omnes sint acephali, seu sine capite, & nemini in temporalibus sint subiecti: quia id est contra Jus gentium, quo jure omnes Republicæ, & Communitates hominum sunt instituta, & potestatem gubernandi acceperunt. *Abb. hic n. 16.* translative verò etiam præscribere possunt privati talem libertatem, & exemptionem, ita, ut alteri domino temporali, vel Regi subiciantur: & tunc saltem secundariò acquirunt illis jus aliquod, pro quo agere possunt in Judicio; quia ipsorum interest, ne mutant dominum, cui diuturno tempore paruerunt. *Abb. hic n. 15.*

Notandum tertio. Clerici inferiores tenentur exhibere obedientiam, & reverentiam Episcopo, & Capitulo Cathedrali; ut colligitur ex hoc c. ibi: *Archiepiscopo, & Ecclesie Bracharensi obedientiam, & reverentiam debitam*: ubi nomine Ecclesie venit Capitulum, idque propter communionem, quæ est inter Episcopum, & Capitulum, tanquam inter caput, & membra. c. *Cum dilecti*; 19. *Junct. Gl. V. Et si Capitulum*; de *V. S.* & Episcopo quidem tenentur Clerici exhibere obedientiam, & reverentiam principaliter, Capitulo verò accessoriè, & secundariò, etiam Sede non vacante, non tamen singulis Canonicis; quia singuli non gerunt publicum officium, sed totum Capitulum. *Abb. hic n. 2.*

## S. V.

*An contra Prælatum possit præscribi  
visitatio, & procuratio ratione  
illius debita?*

XXIII. Assertio prima. Clerici subditi, sicut non possunt præscribere adversus Episcopum, vel similem Prælatum Ordinariam, visitationem, ut scilicet non visitentur, ita neque contra procurationem, ratione visitationis, ipsi debitam ullo modo præscribere possunt; ut decernitur in c. *Cum ex officio*; 16. *h. t.*

» Nam cum Archiepiscopus Senonensis Provinciam  
» suam visitans transiret per Dioccesim Parisiensem,  
» & ratione quarundam Ecclesiarum procuraciones  
» peteret. Abbas S. Maglorii, & Prior de Castres, &  
» quidam alii, ad quos Ecclesie illæ pertinebant, eas  
» inhumaniter denegarunt, allegantes, quòd non  
» meminerint, se procurationem Antecessoribus Ar-  
»chiepiscopi solvisse, sed neque ab ipsis aliquando  
» petitam fuisse: ideo Archiepiscopus censuras sus-  
» pensionis, & postea etiam, cum has non fervarent,  
» excommunicationis sententias in eos tanquam  
» contumaces tulit; prout habetur in integra lectio-  
» ne huius c. Re hac ad Innocentium III. relatâ, is  
» rescripsit ad Episcopum Parisiensem, quòd contra  
» procurationem, quæ ratione visitationis debetur,  
» præscribi nequeat, sicut nec contra ipsam visitatio-  
» nem ullo modo præscribi potest: Quamvis alius  
» contra alterum præscribere possit utrumque (scili-  
» cet tam visitationem, quàm procurationem.) Qua-  
» propter mandat Papa Episcopo Parisiensi, ut sen-  
» tentiam excommunicationis, quam Archiepisco-  
» pus, ex antiqua Metropolis consuetudine, tulit in  
» Prælatos illos, usque ad condignam satisfactio-

nem, curet observari; quia secundum Apostolum. *1. ad Cor. 9.* si quis spiritualia feminat, magnum videri non debet, quòd temporalia metat, cum enim suis stipendiis militare cogatur. Quòd si verò aliquid (v. g. privilegium Apostolicum. *Gl. fin. h. t.*) contra intentionem Archiepiscopi objicere velit, ac probare, justitia eis exhibebitur.

Ratio prioris partis, cur contra visitationem præscribi non possit, est; quia per talem præscriptionem omnino tollitur visitatio, quæ fit ob salutem animarum, & ad corrigendos pravos mores populi, & reformationem Ecclesiarum; ideoque tanquam noxia Reipubl. Christianæ nullo modo admitti debet. Ratio posterioris partis, cur etiam contra procurationem præscribi nequeat, est; quia Jus Canonicum etiam resistit tali præscriptioni tanquam irrationali, & quæ in Ecclesiarum perniciem tendit: idque, quia visitantibus, & spiritualia ministrantibus, adeoque Ecclesiarum causâ laborantibus, naturali, & divino jure temporalia ad eorum sustentationem necessariam debentur; ut habetur in hoc c. contra Jus verò Divinum nullo unquam tempore præscribi potest: tum quia alioquin, si Ordinarii locorum propriis functionibus visitationes obire debent, facili ab his abdicerentur, easque negligerent, quòd in magnum damnum earundem, & totius Diocesis cederet. *Abb. hic n. 4. Felin. n. 9. Barb. in collect. hic n. 2. & 4. Confirmatur; quia procuratio est annexa visitationi, tanquam accessorium suo principali: ergo, si visitatio non possit præscribi, neque procuratio potest; quia de connexis idem est Judicium, etiam quoad præscriptionem. *Abb. hic n. 5. & Barb. n. 2.**

XXIV. Pro intellectu huius c. notandum primò. Licet Episcopus, vel alius Ordinarius, quotiescunque visitat, procurationem sibi debitam potest remittere, expressè, vel tacitè, non petendo illam; non tamen potest jus petendæ procurationis remittere in perpetuum, aut pacto se, suosque successores ad remittendum obligare; quia procuratio, est juris publici, sicut ipsa visitatio, cui annexa est: & si jus procurationis exigendæ per expressum pactum potest remitti, multò magis potest per præscriptionem, saltem immemorialis temporis, vel 40. annorum, cum titulo colorato, amitti, quippe in qua intervenit juris auctoritas, & favor publicus: unde & jura, ac bona Ecclesie per præscriptionem alienari, & amitti possunt, quæ tamen à Prælato remitti, vel arbitrari suo alienari non possunt; ut post *Hosienf. docet Abb. hic n. 14.* Imò nec ipse Pontifex remittere solet obligationem præstandi ab Ecclesiis subiectis procurationes, seu necessaria vidualia Episcopo, seu Ordinario visitanti, cum id sit indecens, & perniciosum Ecclesiis, ut supra dictum: ideoque non obstantè temporis immemoriali, quo nec data, nec petita fuerint procuratio, adhuc præstanda est ab Ecclesiis subiectis Episcopo, & idcirco Papa in hoc c. allegationem hanc tanquam nullam rejecit: ex quo sequitur, quòd etiam ex cursu temporis immemorialis non oritur præsumptio tituli antecedentis, sive accepti privilegii à Papa, vi cuius, Ecclesie subiectæ Episcopo immunitatem à procuratione præstanda; quia Papa non potest tale privilegium concedere, & Episcopus non potest procurationem remittere; ut ex dictis patet, de quibus plura infra l. 3. tit. 39.

Novissimè

Notandum secundò. Præscriptio contra procurationem debitam, ratione visitationis, non valet, siue quoad totum, siue quoad partem; cum minus datur, quàm solvendum sit, sed integra præstanda est, etiam si pars illius tempore immemoriali non sit soluta; quia in hoc cap. indistinctè prohibetur præscriptio contra procurationem: sicut ergo visitatio non potest præscribi, nec in totum, nec pro parte; quia integra debetur, ita nec procuratio ei annexa: de connexis enim idem est iudicium. *cap. 2. de consub. & visitatio ita facillè negligetur, si modicum tantum, siue pars procurationis solveretur, atque si tota negaretur, & nihil daretur; quia modicum non curatur: licet autem argumentari à parte ad totum, quando eadem est in utrisque ratio. Abbas hic num. 13.*

Notandum tertio. Etsi non possit per præscriptionem tolli procuratio, quoad substantiam, bene tamen quoad modum solvendi mutari, ut nimirum non in fructibus, vel victualibus, sed in pecunia præstentur, non tamen invitis ijs, qui tenenturolvere. *Abb. hic n. 15. Felin. n. 10.* Et universim loquendo, licet compositio, per quam tollitur procuratio debita visitanti, non valeat, sicut neque valet compositio, per quam tollitur visitatio: tamen, si fiat super modo procurandi, vel numero Procuratorum, valet compositio; ut docet *Gl. in Clement. 2. de consub. V. Compositiones.* & consequenter præscribi etiam poterit, modo ita fiat, ut per eam non retardetur ipsa visitatio, neque violetr lex charitatis, aut hospitalitatis. *Abb. hic n. 14. Felin. n. 16.*

XXV. Notandum quartò. Quod dictum est, procurationem debitam ob visitationem præscribi non posse, id extendi non debet ad alios census, vel præstationes, quæ Superiori, seu Prælato fiunt, v. g. subsidium charitativum, cathedraticum, vel aliam pensionem annuam, quæ Episcopo, seu Ordinario, ratione consuetudinis, vel pensionis adiunctæ in fundatione beneficij, vel ob aliam causam solvitur: nam in his præscribi potest immunitas tempore immemoriali, cum bona fide; ut probabiliter tradit *Felin. hic num. 14.* in iis enim cessant rationes suprà allatæ, ob quas contra procurationem præscribi non potest; quia nimirum hæc est annexa visitationi, quæ sublata procuracione impediretur: & cum prædictæ præstationes, quæ ob aliam causam, quàm visitationis, fiunt, possint per privilegium, pactum, vel compositionem remitti; consequenter etiam per præscriptionem immemorialem, quæ vim tituli habet, tolli possunt, modò in præscribente sit capacitas.

Deinde id intelligi debet de procuracionibus, quæ debentur visitanti Jure communi, & Ordinario: non autem, quæ debentur visitanti Jure speciali, siue ex privilegio, v. g. Archidiacono, vel alij Prælato inferiori Episcopo: nam contra talem visitationem præscribi potest procuratio, ne ei debeat solvi; quia faciliùs tollitur Jus speciale, quàm commune, & res de facili redit ad suam primævam naturam: cum ergo Prælatus inferior Episcopo ex speciali concessione, privilegio, vel consuetudine Ecclesiæ visitare potuerit, sine jure exigendi procuracionem, consequenter etiam poterant Ecclesiæ postea contra tale Jus exigendæ procuracionis præscribere: idque confirmat communis praxis, teste *Felino hic n. 15.* licet

Tonus II.

ipse contrarium teneat. Verùm præscriptio, per quam transfertur visitatio in Prælatum inferiorem, ex jure speciali, non directè est contra visitationem, quam non tollit; sed contra Prælatum, cui præiudicat, si privativè præscripta sit visitatio; ita tamen, ut etiam sublata visitatione, quæ competit ex jure speciali, locum habeat visitatio concessa jure communi. *Barb. hic in Collectan. n. 3.*

Notandum quintò. Quamvis non possint Ecclesiæ immunitatem à præstandis procuracionibus, quæ ratione visitationis debentur, præscribere, adversus Episcopum, vel alium Ordinarium Visitatorem, cui jure communi officium visitandi competit: potest tamen alius v. g. Abbas, vel Archidiaconus, cui jure speciali competere potest jus visitandi, consequenter etiam præscribere jus exigendi procuracionem à quibusdam Ecclesiis Diocesis, ut non Episcopo loci, sed ipsi procuratio solvi debeat; ut constat ex hoc cap. ubi dicitur, quòd alius contra alterum præscribere possit utrumque, videlicet, & visitationem, & procuracionem. *Molin. cit. dis. 79. n. 5.* Idque procedit, non solum, si talis visitator sit extraneus, sed etiam, si subiectus sit Episcopo loci, v. g. Archidiaconus Ecclesiæ Cathedralis; quia in textu simpliciter dicitur, quòd alius potest præscribere non distinguendo inter subditum, & extraneum. *Abb. hic n. 6. Felin. n. 12.*

Notandum sextò. Quamvis ex hoc cap. colligi videatur, solum ex antiqua consuetudine competere Archiepiscopo potestatem excommunicandi subditos Suffraganei: probabilius tamen est, quòd etiam, spectato jure communi, Archiepiscopus possit punire eisdem, si, dum visitat, contumaciter ei denegent procuraciones, vel aliàs jurisdictionem ipsius impediunt: ac proinde hæc consuetudo Metropolis non fuit contraria, sed conformis juri communi. *Gl. hic V. Consuetudine. Abb. ibid. n. 11. Felin. n. 7. Barb. n. 8.*

XXVI. Assertio 2. Similiter contra procuraciones, quæ debentur Legatis, & Nuncijs Sedis Apostolicæ, nullo unquam tempore præscribi potest, ita, ut illis non solvantur; prout decernitur in *cap. Accedentes; 11. h. t.* ubi habetur, quòd Præpositus S. Nazarij, & A. Canonicus S. Stephani, tanquam procuratores, seu Syndici Primitivij, & Cleri Mediolanensis venientes Romam, conquesti sunt de Ordinarijs Majoris Ecclesiæ (id est, Canonicis Ecclesiæ Cathedralis) quòd Legatis, & Nuncijs Sedis Apostolicæ procuraciones dare nolint, nec cum alijs Clericis conferre subsidium ad procuraciones ijs præstandas; ex quo ipsi, & alij Clerici Civitatis magis gravantur, cum, quòd pauciores sunt, eò maius expensarum subsidium impertiri debeant. Hoc intellecto, Innocenti III. considerans, id, quòd omnibus incumbit, oportere ab omnib⁹ comportari, mandavit Abbati cuidam, ut Canonicos, nisi per speciale privilegium Sedis Apostolicæ se imunes esse à præstandis procuracionibus ostendant, ad onus procuracionum ordine debito subeundū compellat, non obstante, quòd longissimo tempore eas non solverint, cum in talib⁹ præscriptio locū habere non possit. *Consentit c. Cum instantur; 7. inf. de censib.* Ratio decisionis est; quia procuraciones istæ debentur illis Legatis, & Nuncijs, propter honorè Sedis Apostolicæ, & in signum obedientiæ erga eandem, & ob publicum bonum,

R r r

bonum,

bonum, quod Legati huiusmodi promovent: ideoque contra procuraciones illis debitas non admittitur præscriptio. *Alexand. de Nevo hic n. 18.*

Neque obstat, quod privilegium, & præscriptio æquiparantur, ita, ut, quod per privilegium, etiam per consuetudinem, vel præscriptionem, saltem immemorabilem acquiri possit: sed per privilegium potest quis eximi à procuracionibus solvendis; ut patet ex hoc cap. ergo etiam per præscriptionem: Nam imprimis disparitas est inter privilegium, quod semel concessum revocari potest à Papa; at verò per præscriptionem acquiritur præscribenti Jus adversus eum; contra quem præscribitur: ideoque non potest directè præscribi contra supremam potestatem, seu plenitudinem potestatis, quam habet Papa in beneficiis Ecclesiasticis; ut notat *Laym. hic n. 4.* Deinde præscriptio æquiparatur privilegio, quando præscribitur, sciente Principe, qui privilegium potuit concedere: secus, si præscribatur, Principe ignorante: tunc enim per præscriptionem non acquiritur, quod per privilegium; ut in casu huius cap. immunitas à procuracionibus: quæ est responsio. *Abb. p. 1. Consil. 94. num. 2.* Addunt aliqui apud *Barb. hic n. 3.* aliam responsionem, quod privilegium, & præscriptio æquiparantur in ijs, in quibus præscriptio non reperitur specialiter prohibita, uti hic, quippe quæ contra specialem prohibitionem Juris non admittitur.

XXVII. Ubi præterea Notandum primò. Contra procuraciones debitas Legatis Apostolicis præscribi posse per tempus immemorabile, non quidem directè, sed indirectè, ita, ut Legatis integræ procuraciones solvantur, sed aliqui Clerici eximantur, ut nihil omnino præstent: alij verò tantò plus graventur, atque ita in effectu præscriptio non tendat contra procuraciones debitas Legatis, in præjudicium eorum, sed contra alios Clericos Beneficiarios. *Alexand. de Nevo hic n. 17.* Nec obstat, quod in hoc cap. dicitur, præscriptionem in huiusmodi procuracionibus locum non habere, etiam si longissimo tempore non sint præstitæ; quia sub hac præscriptione non comprehenditur præscriptio centenaria, vel immemoralis, dummodo capacitas sit in præscribente. *Felin. in rubr. huius tit. n. 18.* & alij DD. communiter.

Excipi debet: nisi onus præstandi procuraciones in paucos, & pauperes Clericos rejiceretur, cui ferendo non essent. Vnde nec privilegium à Principe talis exemptio quorundam, cum tam gravi aliorum onere, & damno, concedi potest. *cap. Suggestum; 9. de decim. c. l. 2. C. de precib. Imper. offer.* Quod si inferior Magistratus privilegiū exemptionis ab oneribus communibus alicui concedat, non debent alij ideo plus gravari, sed in eximentium præjudicium ea exemptio cedit, nisi ex justa facta sit; quia v. g. Doctores, aut Magistri pro Republica laborantes sunt exempti: tunc enim onus exemptorum accrescit alijs. *Alexand. de Nevo hic n. 34. Felin. n. 7.*

Notandum secundò. Licet onus solvendi procuraciones Legatis Apostolicis incumbat ipsis Ecclesiis, juxta *cap. Cum instantia; 17. de censib.* tamen per Ecclesias ibi intelliguntur, non tantum Episcopi, seu Prælatis, qui Ecclesias obtinent, sed etiam omnes alij Beneficiati, qui cum Prælatis, veluti membra cum suo capite, unum corpus, seu Collegium constituunt. *Barb. hic in Collect. num. 4.* quod tamen limitandum

est: nisi essent Canonici, vel alij Beneficiati, qui haberent bona, vel reditus tantum assignatos pro necessaria eorum sustentatione, alijs bonis remanentibus penes Episcopum, vel Prælatum: tunc enim hic solus teneretur ad huiusmodi onera præstanda. *Abbi hic num. 4. & Felin. num. 6. in fine.*

## §. VI.

*An Prælatus inferior Episcopo possit præscribere iura Episcopalia?*

XXVIII. Assertio I. Prælatus Episcopo inferior, v. g. Archidiaconus, vel Abbas, potest vel per privilegium specialiter à Papa concessum; vel per præscriptionem acquirere omnia iura Episcopalia in ecclesiis Diocesis, si per 40. annos in eorum possessione, sine interruptione, fuit, ita tamen, ut de præscriptione deducatur tempus, quo vacavit Ecclesia Cathedralis; prout statuitur in *cap. Auditis; 15. de iur. iur.* Nam, cum orta fuisset controversia inter Episcopum Vigorensem, & Abbatem de Hevescam, super quibusdam Ecclesiis in valle de Hevescam sitis, Episcopus dicebat, illas ad se pertinere, quoad legem Diocesanam (sub qua comprehenditur etiam lex Jurisdictionis. *Glof. hic V. Diocesana.*) Abbas autem contra replicavit, Ecclesias illas omnino exemptas esse à Jurisdictione Episcopi. Cum autem Pontifici de privilegio exemptionis ab Episcopali Jurisdictione, concessio Abbati à Sede Apostolica non satis constaret; Abbas per testes probavit, tanto tempore per antecessores suos Abbates Ecclesias illas pleno jure fuisse possessas, ut videretur Abbas Jus Episcopale in eis legitime præscripsisse. Quocirca mandat Innocentius III. duobus Episcopis, ut privilegia, quæ Abbas super immunitate, seu exemptione se habere asserit, inspiciant: & si constiterit, quod vallis Hevescam sit ille locus, in quo sitæ sunt Ecclesiæ illæ, quæ à Papa Cælestino exemptæ sunt, tum Abbatem ab impetitione Episcopi absolvant, & Ecclesias eidem Abbati, ut pleno jure subiectas, adiudicent, ac Episcopo silentium imponant: si verò Abbas in probatione defecerit; tum audiat Episcopus volens probare, Sedem Episcopalem tam diu vacasse, ut, si tempus vacationis subtrahatur, non sit quadragenaria præscriptio probata, quo probato, Jus Episcopale in illis Ecclesiis adiudicetur Episcopo, & Abbati silentium perpetuum indicatur. Si verò Episcopus in probatione defecerit; tum nihilominus, quia in quibusdam saltem articulis interruptionem præscriptionis probavit per actus Jurisdictionis exercitæ, videlicet processions institutione in Pentecoste, receptionis, ac procuracionis Archidiaconi sui, nec non solutionis quorundam denariorum, cognitionis causarum matrimonialium, suspensionis Capellani, & interdicit Capellarum, per quos actus Episcopus probavit, se possessionem habuisse; ideo super his Jus Episcopale ei adjudicari debet; dummodo præscriptio Abbatis ante elapsos quadraginta annos, interrupta fuerit: At verò in reliquis articulis, in quibus interruptio facta non probatur ab Episcopo, eidem silentium imponatur. Ratio autem, cur Prælatus inferior

ferior Episcopo possit præscribere jura Episcopalia, est; quia omnia jura, quæ Prælati potest possidere, potest etiam præscribere. *cap. Cum olim; 18. h. t. & tradit. Glof. hic V. Jus Episcopale.* Atqui Prælati Episcopo inferior est capax possidendi ea, quæ sunt Jurisdictionis Episcopalis; sive spectent ad legem Diocesanam, sive ad legem Jurisdictionis, quæ sub Diocessana generaliter sumpta comprehenditur: ergo etiam potest præscribere totum Jus Episcopale in certis Ecclesiis: ad quod requiritur tempus quadraginta annorum, cum titulo colorato, seu putativo; quia Jus commune resistit præscribenti; sine titulo autem tempus immemorabile, juxta *cap. 1. h. t. in 6.* Licet Prælati inferior non possit possidere; adeoque nec præscribere ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis. *cap. Quanto; 4. de consuetud. Abb. hic num. 4. & num. 23.* Id autem procedit, ut etiam Prælati non exempti, sed subiecti Episcopo possint præscribere Jura Episcopalia. *Abb. in cap. Cum olim; 18. num. 4. h. t.*

XXXIX. Ubi præterea notandum primò. Potest Prælati inferior dupliciter præscribere ea, quæ sunt Jurisdictionis Episcopalis: vel privativè, id est, excluso Episcopo; ut, si solus præscribens exercuit Jurisdictionem, & alia Jura Episcopalia, per tempus lege definitum: vel cumulativè, ita, ut juxta Episcopum, etiam alius Prælati inferior in Ecclesiis certis exercuerit Jurisdictionem, & Jura Episcopalia: Nam visitatio, excommunicatio, & similes actus jurisdictionis à pluribus exerceri possunt, ita, ut inter illos sit locus præventioni. *Abb. hic num. 14.* Ubi tamen distinguendum est cum *Alexandro de Nevo hic num. 25. & 26.* Vel enim solum Prælati præscribens fuit usus Jurisdictione, Episcopus verò, infra tempus præscriptionis, nullum actum Jurisdictionis exercuit; & tunc videtur Prælati inferior præscripsisse Jurisdictionem, excluso Episcopo: vel ex titulo præscribentis, aut aliunde apparet, quòd velit præscribere Jurisdictionem privativè, seu excluso Episcopo; & tunc sufficit unicus actus Jurisdictionis exercitus ab Episcopo ad interruptendam præscriptionem Prælati; etiamsi non prohibear præscribentem ab usu Jurisdictionis, qui est casus huius *cap. 15.* in quo Episcopus interruptit præscriptionem Abbatis; quia recepit Procuracionem, & solutionem denarium S. Petri; & quia cognovit causas matrimoniales, & suspendit Capellanos, & interdixit Capellas: & tunc per quemlibet huiusmodi actum, etiam unicum, interruptitur præscriptio, etiamsi Episcopus non prohibuerit præscribentem uti Jurisdictione: nam in hoc cap. nihil dicitur, quòd Clericis, & Capellanis prohibitum fuerit, ne obedirent Abbati. Ratio est; quia, cum Episcopus per unicum actum Jurisdictionis jus, & possessionem retinuerit; consequenter etiam impedivit, quòd minus Prælati inferior privativè præscriberet, sive eo excluso: non enim potest procedere præscriptio exclusiva Episcopi, qui, priusquam Prælati inferior præscriptionem complevit, eisdem actus aliquando exercuit, juxta *cap. Auditis.* Sed neque hoc casu præscriptioni cumulativè locus esse potuit; quia Prælati inferior non intendit, præscribere cumulativè, sed solum privativè. Vel denique ex titulo, aut aliunde non apparet, Prælatum inferiorem velle præscribere, excluso Episcopo, sed cumulativè tantum: & tunc et-

Tomus II.

si Episcopus simul tempore currentis præscriptionis exercuerit unum, vel plures actus Jurisdictionis, non interruptitur præscriptio Prælati inferioris; quia censetur velle præscribere cumulativè, non privativè, excluso Episcopo: nisi Episcopus impediret præscribentem exercere jurisdictionem, vel præciperet, ne subditi obedirent præscribenti; & hic est casus in *cap. Auditis.* quem proponit, & resolvit *Fagnan. num. 6. & seqq.*

Ex quo colligitur, quòd in his, quæ possunt esse penes plures in solidum, sicut Jurisdictio, quæ potest esse penes Episcopum, & Archidiaconum, v. g. possessio unius non interruptit possessionem alterius; quia quisque intendit jure suo uti, non autem interrumpere possessionem alterius; ut, si unus possideat Jure Ordinario, alter ex privilegio, vel consuetudine. *Fagnan. hic n. 13. & duobus seqq.*

XXX. Notandum secundò. Dupliciter potest Prælati inferior, v. g. Abbas regularis, qui est in possessione Jurisdictionis, quam exercet in certis Ecclesiis, se defendere contra Ordinarium, seu Episcopum, cuius Jurisdictio fundata est in tota Diocesi; quippe quæ de Jure communi ad ipsum solum spectat: vel allegando privilegium exemptionis Prælati concessum à Sede Apostolica, vel præscriptionem. Quòd si in probatione privilegij defecerit, tunc ad probationem præscriptionis transire potest; ut colligitur ex hoc cap. nam licet privilegium, & præscriptio sint inter se contraria, nec simul consistere possint, adeoque nec proponi, quòd enim verum est ex una causa, v. g. jure privilegij, non potest esse verum ex alia causa, v. g. jure præscriptionis: possunt tamen proponi sub disjunctione, sive successivè unum post aliud; ut patet ex hoc cap. nam generaliter licitum est ab una defensione ad aliam transire. *Glof. hic V. Præscripsisse. & Innocent. num. 2. & dictum tit. præced.* debet tamen hoc casu prius recipi probatio super privilegio, quippe quòd secundum se facilius probari potest, & in defectum huius, probatio super præscriptione; prout factum est in casu huius cap. *Abb. hic num. 2.*

Notandum tertio. Vacante Ecclesia, non currit præscriptio contra illam, sive vacatio contigerit ante inchoatam præscriptionem, sive illa pendente; ut in hoc cap. *Abb. hic num. 5.*

XXXI. Notandum quarto. Exercens Jurisdictionem in certis articulis, etiam cum intentione acquirendi universalem possessionem Jurisdictionis in omnibus articulis conjunctis, non præscribit, nisi in ijs articulis, in quibus Jurisdictionem exercuit, si alius, videlicet Ordinarius, sit in possessione aliorum articulorum; quia non plus præscribit quis, quam possideat, neque extenditur præscriptio de jure ad jus, vel de casu ad casum similem, cum sit stricti Juris; prout sumitur ex hoc cap. ubi Abbati fuit adjudicatum Jus Episcopale in illis articulis, in quibus præscripsit, non autem in alijs. *Glof. hic V. Interruptio. Abb. in cap. Cum olim; 18. num. 6. hoc tit.* Similiter interruptio præscriptionis, quoad certos articulos Jurisdictionis, non extenditur ad alios articulos, etiam similes, in quibus possessio non interrupta, sed continuata fuit, si alius possideat Jurisdictionem universaliter, ut in casu huius cap.

R r r 2

Episco-

Episcopus. *Glof. hie V. Interruptionis & Abb. num. 9.* Fit autem interruptio præscriptionis in huiusmodi Juribus incorporalibus, vel per litem contestationem, vel per prohibitionem, aut pœnam subditis infligendam, eò quòd alteri tanquam Domino, aut Superiori obtemperaverint, dummodo ij pœnam acceptaverint: vel denique, si Episcopus, seu Ordinarius alteri à Jurisdictione exercenda per vim excludat, illéque acquiescat, seu recedat. *Abbas hic n. 13. & 14.*

XX XII. Assertio 2. Simili ratione potest Abbas Regularis præscribere Jura Episcopalia in Capellis, ita tamen, ut non plus acquirat, quam præscripsit; prout fumitur ex *cap. Cum olim; 18. h. t.* Cum enim inter Episcopum Lucanum, & Abbatem, ac Monachos S. Salvatoris de Ficheto, apud Sedem Apostolicam controversia orta esset super Spiritualibus Jurisdictione in plebem, & Sacerdotum institutione in Capellis adjacentibus, aliisque Juribus Episcopalibus: Episcopus, tanquam Actor, ad fundandam actionem suam allegavit Jus commune, juxta quod universa spiritualia intra Diœcesin ad ipsum tanquam Ordinarium loci, seu Episcopum Diœcesanum spectant. Insuper allegavit arbitrium, seu sententiam, ac laudum ab Episcopo Pistoriensi, Archiepiscopo, & Primicerio Lucanis promulgatum, quod suæ intentioni favere dicebat Episcopus. Ad quam elidendam Abbas exhibuit privilegium Papæ Gregorij VII. quod prædicto arbitrio longè antiquius erat, & per quod Monasterium, ac liberatum esse videbatur. Sed & aliorum Romanorum Pontificum privilegia idem Abbas protulit post dictum arbitrium concessa, in quibus libertas, seu exemptio data videbatur. Sed quidquid sit de istis privilegijs, quoniam Abbas sufficienter ostendit, quòd Monasterium suum super institutionibus, destinationibus, & ordinationibus Plebani, & Clericorum: insuper etiam Baptismo, & pœnitentiâ in culpis levioribus, sepulturâ, decimarum perceptione, ac Divinis Officijs celebrandis, tam in plebe, quam in Capellis, excommunicationis, & interdici sententias ferendo, & ab illis etiam absolvendo, legitimâ præscriptione munitum sit: ideo Papa Innocentius III. Abbatem ab impetitione Episcopi absolvit super jam dictis articulis, silentio perpetuo imposto ipsi Episcopo; ac verò circa omnes alios articulos, qui ad Jus Episcopale pertinent, quoad plebem, & Capellas, secundum tenoré arbitrij pro Episcopo lati, Abbaté per sententiâ condemnavit.

XXXIII. Pro explicatione huius cap. Notandum primò. Abbas, vel alius inferior Prælatus potest præscribere jura Episcopalia contra Episcopum, quorum octo hic enumerantur. Primò. Instituti in Ecclesijs, & Capellis, etiam Curatos, & destituendi eosdem. *Abb. hic n. 5.* & colligitur ex hoc cap. ubi simpliciter conceditur Abbati institutio in plebe, & Capellis. Secundò. Potest præscribi Ordinatio Clericorum, nempe quoad illos Ordines, quos Abbas potest conferre, quoad alios verò, quos Abbas non potest conferre, nec etiam præscribere potest; quia, quæ sunt Ordinis Episcopalis, non possunt præscribi. *Abb. hic n. 5.* Tertio. Ut jus habeat ponendi in Ecclesia fonté Baptismalem. Quarto. Ut possit pœnitentiâ imponere pro levioribus culpis, non autem pro gravio-

ribus, quas Episcopus sibi reservavit; ut colligitur ex *c. 2. de pœnit. in 6.* quamvis *Abb. hic* contra iurisdictionem Episcopalem pertinent, possunt per inferiorem Prælatum nomine suæ Ecclesiæ præscribi; ideo verò sollicitè fit hic mentio de levioribus culpis; quia quoad illa tantum fuerat præscriptum: quod tamen post *Conc. Trident. sess. 14. c. 7. de cas. refer.* non procedit, nisi Abbas, vel Prælatus inferior per privilegium Apostolicum vel legitimam præscriptionem acquisiverit totalem jurisdictionem quasi Episcopalem, in certa parte Diœcesis, excluso Episcopo. *Fagn. hic n. 21. & 22. Quidam.* Jus liberè recipiendi aliquem ad sepulturam. *Ser. rō.* Perceptio decimarum debita Episcopo, vel quòd Prælatus præscriperit jus percipiendi decimas ad utilitatem sui Monasterij, secundum *Abb. c. l. Septimò.* Celebrandi Officia Divina in Ecclesijs Episcopo subiectis, quamvis de Jure communi Monachus, qui præest Ecclesiæ seculari, non possit Divina Officia celebrare secundum Officium, & ritum monasticum, nisi hoc præscriperit. *Abb. c. l. Octavò.* Præscribere potest potestatem excommunicandi, interdiciendi, & absolvendi Clericos, & Ecclesijs seculares, nam quoad subditos suos de jure communi ea potestas ipsi competit. *Abb. c. l.* Quia ergo in casu huius cap. probatum fuit, quòd hæc octo jura Episcopalia præscriperit Abbas, ideo quoad illa absolutus fuit à petitione Episcopi: in reliquis verò, quæ non præscriperit, fuit condemnatus, juxta sententiam arbitrorum, in quos Episcopus, & Abbas compromiserunt.

Notandum secundò. Quamvis Prælatus inferior exemptus non possit compromittere super jure exemptionis suæ, aut Ecclesiæ suæ exemptæ; quia id cederet in præiudicium Sedis Apostolicæ, cui est immediate subiecta; valet tamen compromissum super Parochiis, aut Capellis, de quibus controversia est, nam Episcopo sint subiectæ, an verò ab eius jurisdictione liberatæ, & pleno jure sint subiectæ Prælato exempto; ut colligitur ex hoc cap. & notat *Felin. hic n. 3.* de quò dictum est supra *lib. 1. tit. ult. §. 3. n. 28.*

Notandum tertio. Licet regulariter, cui competit jure communi, & ordinario potestas excommunicandi, competat etiam potestas suspendendi, vel interdiciendi, & ab ipsis absolvendi; non tamen, si aliquid competat huiusmodi potestas ex præscriptione, competunt etiam cetera, si non sint in specie præscriptæ; sicut etiam, præscriptâ potestate instituendi, non est præscripta potestas destituendi, seu deponendi: cum enim ad diversos effectus tendant, præscriptio non debet extendi etiam ad casus similes. *Abb. hic n. 7.*

XXXIV. Sed jam hic quæri potest, an Prælatus inferior Episcopo possit in certa parte Diœcesis, seu territorio præscribere jurisdictionem Episcopalem, excluso Episcopo. Resp. negativè; quia non possunt in eadem Diœcesi esse duo capita in solidum: quamvis inferior Prælatus possit ita præscribere, ut Episcopus quidem omnino excludatur ab exercitio jurisdictionis, uti fit in Prælato exempto: retinet tamen generalem jurisdictionem, saltem in habitis, cui scilicet Prælatus inferior adhuc maneat subiectus, & subordinatus, ita, ut Episcopus possit jurisdictionem exercere, si Prælatus inferior sit negligens in exercenda Jurisdictione, quam quoad actuale exercitium præscripsit, vel etiam, ut eo depon-

sito, vel mortuo, Episcopus eam exerceat, à quo etiam appellari poterit ad ipsum Episcopum. *Abb. in c. Audius; 15. n. 7. h. t. & in c. Cum contingat; 13. n. 18. & 19. de foro compet.*

§. VII.

An res, alienari prohibita præscribi possint?

XXXV. Præmittendum primò. Generatim loquendo, res prohibita, ne alienentur non possunt præscribi; quia hoc ipso, quòd prohibentur alienari, tacite prohibentur ulucapi, ut notat *Gl. in l. Ubi lex; 24. V. Nihil prodest: in fine, junct. Gl. marg. ff. De usuacap.* nam alienationis verbum etiam ulucapionem continet: vix est enim; ut non videatur alienare, qui patitur ulucapi. *l. 28. ff. De V. S.*

Præmittendum secundò. Quædam res non prohibentur simpliciter alienari, sed solum sine certis solemnitatibus, ut res Ecclesiæ, pupillorum, vel minorum; alia verò prohibentur simpliciter alienari, ut fundus dotalis, bona fideicommissio relicta, vel jure primogenituræ stricta. *Abb. in c. Cum non liceat; 12. h. t. n. 7. & duobus seqq.*

XXXVI. Assertio prima. Res prioris generis præscribi possunt, videlicet res Ecclesiæ, pupillorum, & minorum, etiam si debita solemnitates non interveniant, ac proinde alienationes sint ipso jure nullæ; dummodo adsit bona fides, ex parte accipientis, seu possidentis, & alienatio facta sit, non ex ignorantia juris; ut, quia emens putabat minores posse vendere, sine decreto Judicis, vel Prælatum, sine consensu Capituli: sed solum ex ignorantia facti; ut, quia emens rem Ecclesiæ putabat intervenisse consensum Capituli, qui tamen non intervenit; vel venditorem esse majorem 25. annis, cum esset minor. *Abb. c. l. Molin. tr. 2. dis. 79. n. 9.* Porro hodie de Jure Codicis omnis præscriptio, etiam 30. annorum, contra pupillum sublata est, ita, ut nec inchoari, nec continuari tempore ætatis pupillaris possit; ut colligitur ex *l. Sicut; 3. §. Quæ ergo; C. De præscript. 30. vel 40. ann.* Sublata etiam est præscriptio ordinaria 10. vel 20. annorum adversus minores puberes, ita, ut hodie contra eos admittatur sola præscriptio 30. vel 40. annorum, *l. ult. C. In quib. caus. restit. in integ. non est necess. l. 3. C. Quib. non objic. long. temp. præscrip. Molin. cit. dis. 79. n. 9.*

XXXVII. Assertio secunda. Quod verò attinet ad res posterioris generis, quæ simpliciter prohibentur alienari, certum est, in primis eas præscribi posse tempore immemoriali: hæc enim habet vim tituli, & assert præsumptionem facultatis à Principe data ad alienandum: deinde præscribi etiam possunt, perinde, ac si non essent prohibita alienari, si ante prohibitionem jam inceperat earum præscriptio; prout de fundo dotali statutum est in *l. Si fundum; 16. ff. De fundo dotali;* ubi dicitur: Licet lex Julia, quæ vetat fundum dotalem alienari, etiam ad præscriptionem pertineat; non tamen interpellat eam possessionem, quæ per longum tempus sit, si, antequam fundus in dotem constitueretur, jam ceperat. Idem

que est de aliis rebus, quæ post ceptam præscriptionem prohibentur alienari; possunt enim eodem tempore præscribi, quo præscriptæ fuissent, si prohibitio alienationis non supervenisset. *Molin. c. l. num. 9.* Excipitur, quando res inceptæ præscribi perveniunt ad pupillum; tum enim statim desinit currere præscriptio, durante ætate pupillari. *cit. l. Sicut; 4. §. Quæ ergo; C. De præscript. 30. ann.*

Præterea certum est, quòd legata, fideicommissa, feuda, majoratus, & alia res huiusmodi, quæ absolute alienari prohibentur, non possunt præscribi, tempore ordinario 10. vel 20. annorum etiam cum iusto titulo. *l. fin. §. Sin autem; C. Communia de legatis;* ubi dicitur, quòd neque ulucapio, nec longi temporis præscriptio contra legatarium, vel fidei commissarium procedat. *Molin. cit. dis. n. 9. §. Præterea.* An autem saltem tempore longissimo 30. vel 40. annorum præscribi possint, controversatur. Affirmant communiter DD. apud *Mol. c. l.* quòd præscribi possint tempore longissimo adversus possessorem, vel alienantem, & quemcunque successorem, postquam advenit tempus, quò in illis bonis debebat succedere; non tamen antea, cum agere non posset; & multò minus adversus successores nondum natos: quamvis aliqui idem dicant, quoad omnes successores, etiam jam natos. *Covarr. in reg. possessor p. 3. §. 3. circa finem, & alii.*

Verum probabilius est, quòd in præjudicium successorum, etiam tempore longissimo, præscribi non possint huiusmodi bona, nisi ipsi agere valeant, ut bene probat Palao *cit. pun. 2. §. 15. n. 3.* quia prohibitio alienationis in his non solum est à lege inducta, quæ excludit tantum præscriptionem ordinariam longi temporis, *l. ult. §. Sin autem sub conditione; C. De præsc. 30. vel 40. ann.* sed etiam à primo institutore, quæ, ut aliquid operetur, excludere debet etiam præscriptionem longissimi temporis: tum quia successores, vivente possessore, contra quem præscriptio facta est, non poterant eam impedire; cum majoratus, fideicommissum, vel feudum eis non cesserit: at contra impeditum agere præscriptio non currit, *l. 3. §. l. 7. C. eod.* ergo nec contra successores, si agere non possint. Excipitur præscriptio temporis immemorialis; ut supra dictum.

SECTIO II.

DE CONDITIONIBUS AD præscriptionem requisitis, & in specie de prima, & secunda conditione.

Quatuor qualitates, seu conditiones sunt ad præscriptionem necessaria; ut notat *Silvest. in summa; V. Præscriptio; 1. n. 1.* & alii DD. communiter. Primò possessio, eaque continua, & non interrupta. Secundò bona fides præscribentis. Tertio justus titulus. Quarto certum tempus à lege definitum; de duobus prioribus hac sect. agemus.



## S. I.

## An, &amp; qualis possessio requiratur ad prescriptionem?

XXXVIII. Assertio prima. Ad omnem prescriptionem necessariò requiritur possessio; ut constat ex *reg. juris* 3. in 6. Sine possessione prescriptio non procedit. & l. 25. ff. De usucap. ubi dicitur: Sine possessione usucapio contingere non potest. Sufficit autem ad prescriptionem rerum incorporalium, sive jurium quasi possessio: nam propriè dicta possessio, spectatà nominis derivatione, corporalium rerum tantùm est. l. 1. in princ. ff. De acquir. possess. & dictum suprâ. Et hinc etiam, quando debitor prescribit debitum adversùs creditorem, vel Reus prescripsit actionem, quâ Actor possit contra eum agere, intervenit aliqua possessio rei, quæ prescribitur: nam id, quod prescribitur, est, non solvere, sive non inquietari à creditore, vel Actore: hoc autem possidetur pacificè eo tempore, quo prescribitur, ita, ut postea illa quies possessa, & prescripta non possit alicui auferri; ut advertit *Lugo tom. 1. de justit. dis. 7. sec. 2. n. 14.*

XXXIX. Assertio 2. Ad prescriptionem requiritur possessio, saltem civilis, eaque sola sufficit, quamvis non sufficiat sola naturalis; multò magis autem sufficit utraq; conjuncta. *Dyn. in cit. reg. 3. n. 29. Abb. incit. c. Causam; 7. n. 6. h. t. Covarr. reg. possessor p. 2. in princ. n. 7. Molin. tra. 2. de justit. dis. 62. n. 1. & alii DD. communiter.* Prima pars, quòd requiratur, & sufficiat sola possessio civilis, sine naturali, probatur; quia ad prescriptionem requiritur talis possessio, ex qua sequi possit translatio, sive acquisitio domini. l. Sine; 25. ff. De usuc. junct. l. Acquiritur; 10. §. ult. ff. De acquir. rer. domin. Cùm prescriptio, sive usucapio nihil sit aliud, quàm acquisitio domini ex possessione, cum ceteris requisitis: sed ex sola possessione naturali, sine civili, non potest sequi domini acquisitio, cùm desit animus possidendi rem, ut suam; alioquin non solum naturaliter, sed etiam civiliter possideret. Loquimur autem hinc de possessione civili non generatim, sed quæ requiritur ad prescriptionem legitimam domini, vel alterius juris. Quòd autem sola civilis, sine naturali, sufficiat, probatur; quia absens, quem constat, solam civilem possessionem animo retinere, possidet, quantum ad hoc, ut usucapio continuetur. l. Servi; 17. §. ult. ff. De furtis. l. 1. §. Per servum, qui in fuga. ff. De acquir. poss. Secunda pars, quòd sola possessio naturalis non sufficiat, patet ex eo; tum quia depositarius, & colonus possident naturaliter, & tamen non prescribunt; tum quia, si ex sola naturali possessione procedit prescriptio, sequeretur, quòd, si is, qui civiliter tantùm rem possidet, & prescribit, abesset, & prescriptionem continuaret, ut potest, & alius eodem tempore naturaliter rem possideret, & bonâ fide, duo simul, & eodem tempore acquirerent dominium eiusdem rei in solidum, quod de jure non est possibile. l. Si ut cerò; 5. §. Si duobus. ff. Commod. *Dyn. c. l. n. 30.* Non est autem necessarium, ut reali apprehensione acquiratur possessio: satis enim est, si fictione juris aliquo actu apprehensioni æquivalente acquiratur. *Covarr. in cit. reg. possessor p. 2. §. 1. n. 5. & dictum suprâ tit. 12.*

b. 2. requiritur tamen præterea ad prescribendum, ut possessio sit continua, & non interrupta. v. g. lex ad prescribendum exigit decennium, debet quæ continua 10. annis possidere, saltem civiliter, unde, si quis finito quinquennio, rem alienaret, & alteri traderet, & postea per aliud quinquennium iterum possideret, non prescriberet. Quomodo autem interruptumpatur ipsa prescriptio, infra dicitur.

XL. Hinc inferitur primò. Si quis dominio absente, vel ignorante, occupet rem aliquam immobibilem illius, eamque alicui tertio vendat, & tradat, qui eam bonâ fide retinet, non potest hic capere rem illam prescribere; quia naturaliter solum possidet, civili possessione remanente penes dominum absentem, & ignorantem, donec reversus non admittatur ad possessionem naturalem, vel ab ea recuperanda, ob metum, vel aliam causam, desistat. *Molin. cit. dis. 62. n. 2.*

Inferitur secundò. Colonus, conductor, depositarius, commodatarius, alique similes non possunt prescribere res, quas legitimè detinent; quia civilis possessio harum rerum est penes proprietarium: imò ipsi neque naturaliter possident suo nomine, sed nomine domini, qui per illos possidet, etiam naturaliter. Emphyteuta verò, & usufructuarius, licet civiliter non possideant proprietatem fundi; idèòque illam prescribere non possunt; possunt tamen contra proprietarium prescribere dominium utile, aut fruendi; quia hoc civiliter, & suo nomine possident. *Mol. c. l. n. 4.*

Inferitur tertio. Qui non suo, sed alterius nomine, in possessione rei, aut juris existit, non potest prescribere, ut tutor, curator, procurator, familiarius, servus, qui non sibi prescribunt, sed eis, qui per eos possident, videlicet pupillis, minoribus, dominis, vel parentibus, qui per eos acquirunt bona, quæ prescribunt. *Mol. cit. dis. n. 5.* Idque sumitur ex c. Si litiganti; 17. h. t. ubi ratio redditur, cur is, qui alio nomine possidet, non prescribat; quia ille possidere dicitur, cuius nomine possidetur, de quo infra.

Inferitur quartò. Qui non est capax possessionis alicuius rei, non potest illam prescribere; quia possessio est unica via obtinendi prescriptionem, & fundamentum illius. Unde cùm laici jus decimarum, quippe quod spirituale est, possidere nequeant: idèò eas prescribere non possunt, de quo plura §. seq.

## §. II.

## An laici non possint prescribere decimas, ob defectum possessionis?

XLI. Responso est affirmativa; & prout expressè deciditur in c. Causam; 7. h. t. Nam, cùm controversia esset inter Archidiaconum Legionensem, & quendam Nobilem super jure decimarum, eam Papa Alexander III. commisit Parmens. Episcopo, mandans ei, ut adversùs Nobilem causam decidat, non obstante prescriptione temporis, quam is objicit, aut concessione factâ ab Ecclesiastica (post Concilium Lateranense in c. Prohibemus; 19. & in c. Quamvis; 17. inf. de decimis. c. Gl. hic & Concessione;) vel seculari portionâ; quia cùm

cum laici decimas detinere, seu possidere non possunt (civiliter scilicet, & iudicè: nam naturaliter, & de facto eas possident laici. *Gl. hic V. Civiliter; & V. Detinere*;) nullâ ratione eas præscribere valent. Ratio est; quia sine possessione non procedit præscriptio ideòque communiter dici solet: Incapax possidendi est incapax præscribendi. Idemque est de aliis rebus sacris, vel iuribus Ecclesiasticis, v. g. iurisdictione in Clericos, eorùmque bona, quæ laici præscribere non possunt; quia nequeunt ea proprio nomine possidere.

**XLII.** Pro explicatione *cit. c. Causam*; Notandum primò. Laici neque per tempus immemoriale, & cum bona fide, sive inculpabili ignorantia, possunt jus percipiendi decimas, quatenus spirituale est, seu in spirituali titulo fundatum præscribere; quia non sunt capaces possidendi jus spirituale. *cit. c. Causam; & post Ioann. Monach. in c. 2. n. 5. & 6. de præscrib. in 6. & Ioan. Andr. ibid. n. 7. docet Abb. in cit. c. Causam; n. 2. & 3. Felin. ibid. n. 2. & alii communiter; & colligitur ex eodem c. in fine, ibi: Nulla ratio ne valeant præscribere.*

Idque confirmatur ulterius: nam, vel laico jus spirituale decimarum, vel aliud simile, legitimâ potestate Prælati est concessum; & tunc non acquirit illud per præscriptionem, sed per privilegium, titulum, vel concessionem. Vel non est illi legitimâ auctoritate Prælati concessum; & tunc non possidet civiliter, & iudicè, ac utiliter ad præscribendum: possessio enim, ac perceptio decimarum ex primæva sua institutione annexa est titulo spirituali, ita, ut ab eo separari non possit, nisi ex legitima concessione Prælati Ecclesiastici. *Laym. l. 4. Th. mor. tract. 6. c. 6. n. 8.*

Notandum secundò. Quòd dictum est, laicos non posse præscribere jus percipiendi decimas; quia nequeunt illud possidere, id intelligendum est; non solum de iure decimarum, quatenus spirituale est, seu in titulo spiritualis officii fundatum, sed etiam de iure percipiendi decimas, quatenus à spirituali titulo separatam, & temporale quoddam jus est; prout colligitur ex *cit. c. Causam; h. t.* Nam Nobilis ille laicus, de quo ibi sermo est, non petit, ut sibi liberet spirituali titulo decimas percipere: sed solum contendit pro iure temporali percipiendi fructus decimarum, quod allegabat se præscripsisse: & tamen Papa negat, laicos tale jus præscribere posse; quia scilicet suo nomine, & iure proprio, sine titulo privilegii, vel alterius concessionis legitimè factæ à Prælato Ecclesiastico possidere nequeunt, per quem laicus capax possessionis civilis, & utilis ad præscribendum reddatur. *Suar. tom. 1. de relig. lib. 1. c. 27. n. 1. Covarr. lib. 1. var. resol. c. 17. n. 6. Laym. cit. c. 6. n. 8.*

**XLIII.** Non obstat primò. Quòd, quicquid per privilegium Principis potest acquiri, etiam possit per præscriptionem, ac possessionem temporis immemorialis, quæ æquiparatur privilegio. *c. Super; 26. de V. S.* Nam id verum est, si quis capax sit possessionis rei, vel juris alicuius, etiam sine privilegio, vel legitima concessione Prælati Ecclesiastici: si verò quispiam ex legis dispositione incapax sit possidendi, sine titulo privilegii, vel concessionis, tunc nec per temporis immemorialis possessionem, cum bona fide, præscribere potest: cum enim præscriptio à iure positivo sit introducta; ideo, si Jus illi resistat, non potest

unquam vim habere. *l. Ubi lex; 24. ff. De usucap.* Ac verò laicus non potest possidere jus decimandi, etiam separatim à titulo spirituali, sine privilegio, aut legitimâ concessione Prælati Ecclesiastici: ergo sine hac, vi solius præscriptionis, quantumvis immemorialis, laicus non potest tale jus acquirere; quia incapax possidendi est etiam incapax præscribendi. *c. 3. de R. I. in 6. Suar. cit. c. 27. n. 2. & 3. Laym. cit. c. 6. n. 9. & alii apud ipsos.*

Non obstat secundò, quòd consuetudo, vel possessio temporis immemorialis, cum bona fide, sit instar tituli, seu jus, ac titulum tribuat, ut proinde aliâ concessione, aut privilegio non sit opus. Nam respondetur, hoc verum esse, quando quis capax est possidendi rem, vel jus aliquod, sine titulo privilegii, vel concessionis; tunc enim possessio, aut præscriptio temporis immemorialis tribuit jus, ac titulum: secus, si non sit capax possidendi; quia leges, vel Canones prohibent possessionem, & consequenter etiam præscriptionem; sicut in proposito, laicus est incapax possidendi jus decimarum, etiam separatim à spirituali titulo, sine privilegio, vel concessione Prælati Ecclesiastici. *Laym. c. l. n. 9.*

Non obstat tertio, quòd laici saltem obtinere, ac possidere possint decimas, quatenus laicales sunt, sive separatæ à iure, seu titulo spirituali; adeòque etiam, ut sic, eas præscribere. Nam respondetur: decimæ non possunt separari, & avelli à iure, sive titulo spirituali, cum quo sunt connexæ, nisi per legitimam auctoritatem, & concessionem Prælati Ecclesiastici; ideòque etiam jus percipiendi decimas, tanquam separatæ à spirituali titulo, sive laicales, non possunt obtinere, & possidere laici, sine legitima concessione Prælati Ecclesiastici; & consequenter neque illas, quæ laicales, præscribere. *Laym. c. l. n. 9. in fine.*

**XLIV.** Notandum tertio. Laici non possunt, etiam tempore immemoriali, præscribere jus percipiendi decimas, tamen si forte adsit fama, vel publicus, & inculpatus error de privilegio, vel aliâ concessione factâ à Prælato Ecclesiastico: nam erronea illa persuasio, sicut non inducit verum titulum, ita nec veram, & iudicam possessionem, si ex iuris dispositione, sine vero titulo, competere non possit. Verumtamen, si immemorialis possessio juris decimarum, vel alterius juris spiritualis, quod ex concessione Prælati Ecclesiastici à laico acquiri potest, & solet, conjuncta sit cum communi fama, & opinione in populo, alicuius privilegii, vel alterius concessionis factæ à Prælato Ecclesiastico (scilicet à S. Pontifice, vel etiam ab Episcopo, ante Concilium Lateranense, quoad jus decimarum) inducit præsumptionem juris pro laico possidente, ita, ut neque in foro externo; neque interno conscientie, ad restitutionem decimarum obligandus sit; quia ipsa antiquitas temporis præsumptionem inducit tituli, seu concessionis legitimè olim factæ; cum in dubio non sit præsumendum delictum, nec debeat laicus privari possessione pacificâ juris decimandi per tempus immemoriale, cuius potest esse capax per privilegium, vel aliam concessionem legitimam Prælati Ecclesiastici. *Alex. de Nevo in cit. c. Causam; n. 8. & Felin. ibid. n. 3. Suar. cit. c. 27. n. 4. Laym. c. l. n. 9.* Neque tali casu requiritur, ut in specie adsit communis fama, sive traditio, quoniam pacto, & à quo, aut quando decimæ concessæ sint laico, cum

scribere decimas possessionis?

mativa; prout etiam. Nam, cum eorum Legionem, iure decimarum, commisit Parmensi, versus Nobilem, descriptione temporis factâ ab Ecclesie in c. Præscriptio de decimis, personam; quia

co, cum talis memoria. ob temporis diuturnitatem, aboleatur; sed sufficit, si à tempore immemoriali constans fama, & persuasio fuerit, decimas ad laicum de jure pertinuisse, etsi in particulari nesciatur, quomodo quando, vel à quo ad ipsum pervenerit, neque aliter probari possit; quia sufficienter id probatur per diuturnitatem temporis. *Arg. l. ult. ff. De aqua, & aquae pluvi. arcend.* idque, ut succurratur multorum laicorum conscientis, qui decimas à majoribus suis per antiquissima tempora acceperunt.

Notandum quartò. Est tamen notabile discrimen inter possessionem temporis immemorialis, & inter prescriptionem decimarum: nam, etsi laicus per tempus immemorabile decimas possedisset bonâ fide, si tamen postea constaret, v. g. per instrumentum antiquum de novo repertum, jus decimarum per illegitimum, & invalidam alienationem ad majores ipsius pervenisse; quia v. g. Prælatus, vel Parochus decimas Ecclesie suæ laico vendidit, illas retinere non possit. Si verò laicus præscribere posset, saltem per tempus immemorabile, jus decimandi; tum, etiam si postea constaret de illegitima translatione facta in majores ipsius, non posset jure decimandi privari, quippe quod jam titulo prescriptionis legitime acquisivisset. *Laym. cit. c. 6. n. 9.* & alii apud ipsum.

### §. III.

*An ad omnem prescriptionem, & omni tempore, necessaria sit bona fides ad præscribendum.*

XLV. Secunda conditio ad præscribendum maximè necessaria est bona fides, quâ quis probabiliter existimat, rem, quam possidet, ad se pertinere; vel saltem, alienam esse, non cognoscit. Malâ fide possidere dicitur, qui scit, vel credit, rem, quam possidet, alienam esse, vel non esse suam; & de hoc dicitur, quod malâ fidei possessor ullo tempore non præscribit. *Reg. jur. 2. in 6. Laym. lib. 3. tra. 1. c. 8. n. 10.* jam ergo sit

XLVI. Assertio prima. Jure civili Cæsareo, in prescriptione longi temporis bona fides tantum requiritur ab initio, ad inchoandam prescriptionem. *l. unic. & ibi Gl. V. ab initio C. De usuc. transform.* Et hinc præscriptio cæpta per defunctum, bonâ fide continuari, & compleri potest ab herede; etsi is fuerit in mala fide, & scientiam habuerit rei alienæ. *§. Divina Instit. de usuc.* Imò in prescriptione longissimi temporis 30. vel 40. annorum bona fides de jure civili, nullo tempore, ne quidem ab initio requiritur; sed post tantum tempus, is, qui præscripsit, adversus omnem petentem exceptione tutus est; idque statutum est ob odium domini res suas petere negligentis. *l. Si quis; 8. §. Quod si quis; C. De præscr. 30. vel 40. ann. & explicat Gratianus in c. Placuit; 14. caus. 16. q. 3.*

XLVII. Verùm Jure Canonico bona fides requiritur ad omnem prescriptionem, & omni tempore, ita, ut non satis sit, prescriptionem bonâ fide cæpisse, sed illa bonâ fide continuari debet, donec tempus lege requisitum ad præscribendum compleatur, ut constat ex c. Quoniam; 20. & ult. h. t. ubi inno-

centius III. in Concilio Lateranensi definit, quoniam omne, quod non est ex fide (id est, ex conscientia. *Gl. hic V. Ex fide*) peccatum est (ad Rom. 14.) ideo nulla, absque bona fide, valere debet præscriptio, tam Canonica, quam civilis: cum generaliter omni constitutioni, vel consuetudini derogandum sit, quæ absque peccato mortali observari non potest. Unde oportet, ut, qui præscribit, in nulla temporis (scilicet ipsius prescriptionis currentis. *Gl. hic V. eodem.*) parte conscientiam habeat rei alienæ. Ratio est; quia, si quis sciat, rem, vel jus, quod possidet, ad alterum spectare, & nihilominus detineat, vel usurpet, contra conscientiam agit, & consequenter peccat; quia omne, quod non est ex fide, seu quod non secundum conscientiam, sed contra illam fit, id peccatum est, v. g. si quis sciat, rem, quam possidet, vel jus eligendi, præstanti, pascendi, vel alterius servitutis in fundo alieno, non ad se, sed ad alium pertinere, is furtum rei, vel quasi furtum, sive injustam usurpationem alieni juris committit, quod est peccatum mortale ex genere suo: atqui lex canonica, vel civilis non debet esse nutritiva peccati; alioquin non est vera lex, neque obligat, cum justa, & rationalis non sit: ergo, qui intra tempus definitum conscientiam habet rei, vel juris alieni, adeoque malam fidem, non potest præscribere ullo tempore. Et hinc leges civiles admittentes prescriptionem; cum mala fide, abrogatæ sunt per Jus Canonicum; quia fovebant peccatum, dum permittebant, rem alienam malâ fide possideri, & præscribi. Et quia hic agitur de periculo animæ, hoc peccato vitando; ideo hæc Constitutio Juris Canonici etiam in foro seculari, & terris Imperii observanda est; ut docet Covarr. in reg. possessor p. 2. §. 11. n. 4. *Gail lib. 2. obs. 18. n. 7. & 10.* & alii communiter, quamvis *Gl. in cit. c. ult. V. Quam civilis*, verba illa: *Nulla valeat præscriptio, sine bonâ fide, tam canonica, quam civilis*; per canonicam prescriptionem intelligat illant, quæ est de re spirituali; per civilem, quæ est de re civili, seu seculari. Verùm rectius ea verba intelliguntur de lege canonica, & civili: unde etiam *Gl. ibidem addit*; potius in hoc casu standum esse Juri Canonico, quam civili; quia præscriptio non excusat à peccato per rationem legis civilis.

XLVIII. Præterea malâ fidei possessorem non posse præscribere, constat ex c. Vigilanti; 7. h. t. ubi dicitur, diligenter cavendum esse, ne malâ fide prædia aliena possideantur; quoniam nulla antiquitas temporis possessorem malâ fidei adjuvat, nisi respuerit (id est, rem restituerit. *Gl. magna. hic post.*) quam scivit, rem alienam esse, cum bonâ fidei possessor dici non possit. Etsi verò Ephesinus quidam legislator, propter hominum, res, & jura sua non repetentium desidia vitandam, & longi temporis errorem tollendum, prescriptionem 30. vel 40. annorum, etiam cum malâ fidei possessione introduxit: hæc tamen irrita, & injusta est, tam in rebus cognitis, quam latentibus, id est, si is, cuius res est, sciat, eam ad se pertinere, sive ignoret. *Gl. hic V. Cognitis; & V. Latentibus.* Emanavit autem hæc decretalis; quia aliquis Episcopus quaesivit ex Papæ Alexandro III. an, sicut secundum leges civiles possessor malâ fidei præscribere potest rem alienam, ita etiam secundum Canones?

XLIX. Pro explicatione huius utriusque c. Notandum primò. Etiam in præscriptione temporis immemoralis requiritur bona fides. *Dynus in reg. Possessor; num. 14. Covarr. in ead. reg. p. 2. §. 8. num. 4. & alij communiter contra nonnullos; nam in cit. c. ult. h. t. generaliter, & sine omni exceptione requiritur bona fides in præscribente: & ratio est; quia, qui sciens detinet rem alienam, non potest præscribere ob peccatum commissum. cit. c. ult. at quò longiore tempore mala fidei possessor rem alienam detinet, eò gravius peccat: ergo etiam, tantò minus potest præscribere. Nec obstat, quòd præscriptio immemoralis habet vim tituli, juris, & privilegij; nam id intelligendum est, cum ex bona fide procedit; aliàs lex præscriptionis faveret iniquitati. *Palao cit. dis. un. p. 2. §. 6. num. 2.**

Notandum secundò. In dubio ordinariè præsumendum est, aliquem bonà fide possedisse, nisi contrarium probetur; quia delictum non faciliè præsumi debet. *Gl. in c. Si diligenti; 17. V. Bona fides; h. t. Abb. ibid. num. 14.* Idque verum est, etiam si absque titulo possideat. *Covarr. cit. §. 8. num. 2.* nisi tamen contra jus commune possessionem alicuius rei acquisierit, vel possessionis suæ titulum, seu causam allegare nequeat, et si pacificè longo tempore possederit. *Abb. c. l. num. 15. & 16. Laym. cit. c. 8. num. 10.*

Notandum tertio. Mala fidei possessor non potest præscribere, sive dominus sciat, rem ad se pertinere, vel ab alio possideri, sive nesciat. *cit. c. Vigilanti; in fine.* sicut vice versà, bonæ fidei possessor præscribere potest rem, sive dominus, aut is, ad quem res pertinet, sciat, sive ignoret, ad se pertinere, vel ab alio possideri. *l. ult. prope finem. iunct. Gl. V. Vel ignorantia; C. de long. tem. præscr.*

Limitatur primò. Quòd præscriptio etiam procedat contra ignorantem, nisi probabiliter ignorans, rem suam ab alio possideri, iustam causam ignorantia alleget; tunc enim in integrum restitui debet; ut docet *Abb. in cit. c. Vigilanti; num. 3. & Bart. in l. 1. §. Si quis propter ff. de itinere &c.* Secundò, nisi absens, vel ignorans, rem suam ab alio occupatam esse, adhuc possideat civiliter; tunc enim non procedit contra eum præscriptio. *Abb. c. l. Et sumitur ex l. Si id; 25. §. Quòd autem; & l. Si de eo; 40. ff. de acquir. possess.* Verumtamen multum interest, utrum dominus sciat, rem suam esse occupatam ab alio, an nesciat: ut docet *Bart. in cit. l. Si de eo; §. Si forte; nam.* Priore casu, si rem recuperare negligat, post breve tempus, eius civilem possessionem, quam naturaliter jam perdidit, etiam civiliter, seu animo deseruisse censetur; quia videtur suspicari, se posse repelli. *Arg. l. Quòd meo; 18. §. Si dum; ff. de acquir. possess.* posteriore verò casu, si ignoret, tunc non amittitur possessio civilis, nisi tanto tempore dominus rem recuperare negligat, ut induci possit oblitio, & consequenter præsumi, animum possidendi amissum esse.

L. Sed contra dicta obstat difficilis obiectio. Si ad omnem præscriptionem requiritur bona fides, tunc sequitur, quòd contra legem civilem, vel canonicam nunquam possit præscribi, quòd est falsum. Sequela probatur; nam vel is, qui præscribit, scit, illam legem latam esse, adeòque obligare; & tunc peccat, si contra illam agat, eamque non observet; ac proinde

bonam fidem, seu conscientiam non habet; vel ignorat legem illam; & tunc etiam præscribere non potest; quia error facti, non item error juris in usucapionibus prodest. *l. 4. de jur. & facti ignorans.* Respondetur. Hæc obiectio hoc evincit, quòd primi, qui contra legem rite promulgatam, & receptam agunt, præscriptionem contra illam inchoare non possunt, ob defectum bonæ fidei, nisi titulum aliquem coloratum habuerint. At verò successores eorum videntes, ab antecessoribus legem illam observatam non fuisse, credere poterunt, eos iustam causam, aut titulum habuisse ita agendi, & legem illam non observandi; & sic contra legem per tempus immemorale præscribere, tamen si nullus titulus, vel fama tituli extaret, vel cum titulo præsumpto tempore 40. annorum, si sit lex canonica, juxta c. 1. h. t. in 6. & tradit *Gl. in c. pen. V. Canonici; de consuet. in 6. Laym. lib. 1. tract. 4. c. 3. num. 4.*

LI. Assertio 2. Ad præscribendum debitum personale, v. g. accepti mutui, vel contra actionem personalem ad tale debitum, quòd quis non solvit, quia creditor petere intermittit, requiritur etiam bona fides, quæ credat, se nihil debere; quia v. g. putat, esse condonatum, vel solutum, vel invincibiliter ignorat debitum; quia memorià omnino excidit; alioquin, si sciat, esse debitum, nullo unquam tempore præscribet; ut ex communiore sententia Theologorum, & Canonistarum docet *Imol. in c. ult. num. 24. h. t. & Felin. num. 3. Molin. tract. 2. de justit. dis. 66. num. 5. Les. cit. c. 6. num. 19. contra Hostiens. in summa rubr. de præscript. n. 4. & Abbat. in cit. c. ult. n. 18.* ratio conclusionis est; quia talis non censetur bonà fide possidere jus non solvendi, sive immunitatem à debito: et si enim creditor non petat solutionem debiti, tamen terminus elapsus, ipsaque dies interpellat, admonetque solutionis, juxta *l. Magnam; 12. C. de contrah. stipul.* vel et si debitum indefinitè sit contractum, semper tamen manet obligatio solvendi, saltem post illud tempus, quòd communiter ex consuetudine, & usu observari solet in solutionibus; ergo, si sit in culpabili mora, peccat non solvendo, nec procedere potest præscriptio. *cit. c. ult. h. t.* Quare, cum dicitur, quòd mala fidei possessor nullo unquam tempore præscribat, nomen possessionis latè accipi debet, prout comprehendit etiam debitorem ex obligatione personali, qui post culpabilem moram in non solvendo, etiam si creditor non exigat debitum, si solvere intermittat, cum possit, ac deberet, peccat, arrogando sibi jus immunitatis à debito, illudque quasi possidet, sed malà fide, cum sit conscius suæ obligationis, ac debiti. Imò, etiam si quis sine peccato longo tempore differat solutionem; vel quia toto eo tempore non est solvendo; vel quia longè distat à creditore, vel ob aliam similem causam; adeòque excusetur à solutione debiti, non tamen præscribit debitum; quia non possidet suam libertatem à debito, quam diu est conscius debiti, cum habeat animum solvendi; adeòque cum conscientia debiti non stat possessio bonæ fidei. *Mol. c. l. num. 5. & 6. Lugo cit. dis. 7. sec. 4. num. 49.*

Interim tamen probabiliter dicitur, validum fore statutum municipale, ut, si creditor intra decem annos debitum personale non exigat, postea jure suo cadat, nec repetere amplius possit in iudicio: idque ad excitandam diligentiam, & vigilantiam creditorum, & vitandas lites intri-

catas: per hoc tamen non præscribetur ipsum debitum, ita, ut tollatur naturalis obligatio, quæ adhuc manet in foro conscientiæ, si re ipsâ debitum non sit solum, quam non potuit tollere statutum, nec impediatur canonica denunciatio ad tollendum peccatum iniustitiæ; ut faretur etiam *Abb. in cit. c. ult. num. 23. Lefs. cit. c. 6. num. 20.*

Præterea, si quis bonâ fide litigavit coram Iudice, & per sententiam est condemnatus ad solvendum, poterit, si adversarius non petat executionem, præscribere per 30. annos contra executionem sententiæ, ita, ut solvere non teneatur, modò probabiliter existimet, se non esse obligatum; ut tradit *Abb. in cit. c. ult. num. 32.* nam, licet pro sententia Iudicis sit præsumptio juris, ac de jure, quòd sit iusta; quia res iudicata pro veritate habetur; *c. Cum inter; 13. de sent. & re iudic. ideòque, si de sententiæ iniustitia notoriè non constet, ea executioni mandanda sit: cessat tamen hæc præsumptio, post decursum 30. annorum; quia tunc per præscriptionem virtus sententiæ sublata est.*

LII. Assertio 3. Et si debitum pœnæ, ob delictum contractum, præscribi possit, non tamen sine bona fide præscribentis, qui, quamvis sciat, pœnam pro ea culpa esse debitam (remotè, & sub conditione) simul tamen scit, & iudicat, se non teneri eam solvere, nisi exigatur: unde non habet malam fidem practicam, hoc est, conscientiam obligationis offerendi, & solvendi pœnam debitam: hæc enim præscriptio non procedit ex actione præscribentis, sed ex negligentia creditoris non exigentis. Pari ratione, licet per sententiam bonæ alicuius fisco sint adiudicata; quia tamen nec condemnatus, nec eius heredes tenentur illam sententiam exequi, nec fisco ea offerre; ideo, si ij, ad quos executio spectat, tempore sufficiente ad præscribendum, executionem differant, delinquens vel eius successores debitum illud præscribent; quia sciunt, licere sibi bona illa retinere, donec per fiscum auferantur; adeòque bonam fidem practicam habent, neque scientia illa, quòd sententia lata sit contra Reum, efficit possessionem, & retentionem peccaminosam. *Mol. cit. dis. 66. num. 3. Lefs. c. l. num. 21.*

LIII. Excipitur crimen hæresis: nam, post mortem hæreticorum, qui in hæresi obierunt (quorum bona, spectato Iure Canonico, ipso jure, ac factò censentur acquisita fisco, ita, ut à quibuscunque possessoribus repeti possint; *c. Cum secundum; 19. de heret. in 6.*) qui, dum viverent, Catholici putabantur, si bona ipsorum à filiis eorum, aut nepotibus, vel quibuscunque etiam extraneis heredibus, Catholicis tamen, 40. annis bonâ fide possessa fuerint, postea molestandi non sunt, tametsi ea bona ad Romanam Ecclesiam pervenire debuissent: & quamvis illi, quorum bona fuerunt, tunc detegantur fuisse hæretici. Ita statuitur in *c. Si quis; 2. §. Post mortem; h. r. in 6. Consentit c. Accusatus; 8. §. pen. de heret. in 6. iunctâ Gl. V. Post mortem.*

Hinc colligitur, quòd ad hanc præscriptionem, ultra tempus 40. annorum aliæ plures requirantur conditiones. Veluti primò, ut hæretici, quorum bona præscribuntur, tempore vitæ reputati fuerint Catholici. *Gl. hic V. Putabantur.* Secundò, ut heredes eorum toto tempore 40. annorum

Catholici fuerint: nam, si essent hæretici, non possent possidere; adeòque nec præscribere. *Gl. hic V. Catholici.* Tertiò, ut heredes 40. annis bona illa possiderint, bonâ fide, existimantes scilicet, patrem, vel testatorem in fide Catholica decessisse, & sic iusto titulo ad ipsos eius bona transiisse. *Gl. hic V. Bonâ fide.* Idque specialiter statutum est in fidei favore: nam, quamvis heredes possidentes ea bona, cum hæresis scientia, possint ante sententiam declaratoriam hæresis, in quam incidit defunctus, & interim, priusquam fisco illa bona exigat, licitè retinere: attamen Ius Canonicum requirit expressè bonam hanc fidem, ita, ut stante hac scientiâ speculativâ, prohibeat præscriptionem, in odium hæresis. *Mol. cit. dis. 66. num. 4. Sanch. lib. 2. mor. c. 22. num. 41.* Quariò, ut tunc illo tempore 40. annorum, non detegatur hæresis defuncti; nam, si antea detegatur, quamvis sententia declaratoria non sit lata, interruptur hæc præscriptio, ob malam fidem; quia successores obierunt hæresin defuncti; sive, quia illis scientibus, probatum est crimen hæresis. Si verò post completam præscriptionem detegatur primùm hæresis defuncti, id non obicit huic præscriptioni; ut patet ex *c. §. Post mortem; in fine. Phil. Franc. hic num. 7.* Porò specialis est iste casus, in quo præscriptio quadragennaria currit contra Romanam Ecclesiam; ut notat *Gl. hic V. In hoc casu;* & quidem sine remedio restitutionis in integrum adversus præscriptionem, cum hic prohibeantur post 40. annos, heredes super bonis huiusmodi molestari. *Franc. hic in fine.*

LIV. Assertio 4. In servitutibus urbanis, in quibus non præscribitur per hoc solum, quòd is, cui debentur, ijs non utatur, sed requiritur auctus aliquis positivus præscribentis contra servitutem; ut constat ex *l. Hac autem; 6. ff. de servit. prædior. urban. in his inquam, requiritur bona fides, quâ quis credit se posse jure suo eum actum exercere, & liberum esse ab omni contraria servitute. v. g. in servitute urbana tigni immittendi, vel altiùs non ædificandi, ad præscribendum contra illas non sufficit, ut extra tigno è domo, quæ servit, aliud tignum non immitatur, sed requiritur aliquid positivum, nimirum ut is, qui debet servitutem hanc, obstruat foramen, in quod tignum immisissum erat, & impediatur, ne aliud immitatur: vel ut actu altiùs ædificet: ad hoc autem requiritur bona fides, quâ præscribens credit, se iustè posse exercere talem actum: alioquin, si hoc non puret, eo ipso peccat contra iustitiam, exercendo illum actum præsumptum, videlicet obstruendo foramen, vel altiùs ex tollendo domum; quia scienter hoc facit contra jus alterius, adeòque habet malam fidem, cum qua non potest procedere ullo tempore præscriptio: poterit autem dominus prædij servientis, bonâ fide, exercere talem actum, si oblitus sit juris, quod alter in domo sua debebat, vel, si ex probabilibus coniecturis præsumere possit, illum juri suo tacitè renunciâsse. *Molin. cit. dis. 66. num. 8. & 9. Lugo cit. sec. 4. num. 1. & 53.**

At verò in servitutibus rusticis, in quibus ut præscribantur, sufficit, quòd is, cui debentur, eis non utatur, licet is, qui debet, nihil contrarium faciat; ut constat ex *l. Sequitur; 4. §. Si viam; ff. de uscap. & cit. l. Hac autem; in princ. ff. de servit. præd. urban. in his inquam, is, qui contra servitutem præscribit, non*

est in mala fide, si eo, cui debetur servitus, non petente, vel non agente, taceat, seu dissimulet; quia, licet is, cui debetur talis servitus, jus habeat quidpiam agendi, vel petendi; alter tamen, qui debet, non tenetur ei dare, aut reddere, nisi ille petat: consequenter per temporis legitimum decursum præscribere potest: v. g. si vicino tuo jus competat servitutis rusticæ, videlicet eundi, vel currum agendi per fundum tuum, vel pascendi in tuo prato, atque per 10. annos cessaverit, is amisit jus suum, viâ præscriptionis, tametsi tu probe sciveris, hoc jus illi competere: neque enim tu ob talem scientiam positus fuisti in mala fide, vel in peccato; quia nihil agere debuisti, neque admonere alterum, ut jure suo utatur, sed tantum pati, ac permittere, si ageret, & jure suo uti vellet: cum ergo nihil facias illicitum, neque aliquid omittas, quod debeas, non potes censeris esse in mala fide, imò potius es in bona fide; quia bonâ fide, & conscientia finis alium jure suo non uti. *Molin. c. l. num. 5. Lefs. cit. c. 6. num. 21.* Quanto autem tempore præscribuntur servitutes, infra dicetur.

## S. IV.

*An dubitans, num res sua sit, vel aliena, habeat bonam fidem sufficientem ad præscribendum?*

L.V. Assertio 1. Si quis rem possidere incipiat cum dubio, num sua sit, an aliena, non censetur habere bonam fidem; adeoque nec potest, stante illo dubio, inchoare præscriptionem, sed requiritur bona fides, quâ absque dubio existimat rem esse suam. *Covarr. in reg. possessor. p. 2. §. 3. num. 3. Molin. tract. 2. de justit. dif. 63. num. 8. Lefs. cit. c. 6. num. 10.* & est communis sententia DD. Ratio est; quia, qui cum dubio, an res aliqua, quam antea non habebat, sua sit, vel alterius, incipit illam possidere, & sibi vindicare, peccat, & inique agit, cum non sit melior ipsius conditio, quam alterius, sive, cum non majore jure possit is existimare esse suam, quam alterius: cum peccato autem non stat bona fides, neque præscriptio: requiritur ergo, ut quis determinatè iudicet, rem, quam incipit possidere, vel esse nullius, adeoque fieri suam per occupationem; vel probabiliter iudicare esse suam, sive jus illam possidendi, & accipiendi sibi competere.

L.VI. Assertio 2. Si post bonâ fide ceptam præscriptionem, superveniat dubium, an res sit possidentis, necne, potest is, non obstante eo dubio, continuare, & perficere præscriptionem, dummodo debitam diligentiam adhibeat possessor dubitans ad investigandum, an res sit verè aliena. *Covarr. c. l. Mol. c. l. num. 9. Lefs. num. 10.* & alij DD. communiter. Idque probatur primò, ex *cit. c. ult. h. t.* ubi solum requiritur ad continuandam præscriptionem, ut possessor in nulla temporis parte ad præscribendum constituti habeat conscientiam rei alienæ, idemque

Tomus II.

probatur ex *c. Virgo; §. caus. 34. q. 1.* ubi habetur: tam diu quisque bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quam diu se possidere ignorat alienum; at, qui dubitat, non est sibi conscius, rem esse alienam: ergo est bonæ fidei possessor. Probatur secundò, ex regula illa communi, quòd in pari dubio melior est conditio possidentis, quam non possidentis: ergo, qui, postquam cepit bonâ fide rem possidere, dubitat, an sua sit, potest rem retinere, et, si adhibita morali diligentia ad inquirendam veritatem, dubium adhuc maneat; propter hoc dubium incertum, non debet privati possessione suâ, sed præsumptio stat pro possessore.

L.VII. Hinc inferitur, posse dari medium inter bonam, & malam fidem, si speculativè considerentur, non autem, si in ordine ad praxin: nam, qui dubitat speculativè, nec bonam fidem habet; quia non credit rem, quam possidet, esse suam: nec habet malam; quia non scit, rem illam esse alienam, ac proinde potest simul non judicare positivè, rem esse alienam, sive non suam; nec etiam iudicare esse suam, vel alienam, sed hætere in medio, sive suspendere iudicium circa utramque partem contradictionis: debet tamen vel iudicare, se posse illam licitè possidere; prout iudicat in ordine ad continuationem possessionis: vel iudicare, se non posse licitè possidere; prout iudicat in ordine ad inchoandam possessionem. *Covarr. in Reg. possessor. p. 2. §. 7. num. 2. & 3. Lefs. c. l. num. 12. Lugo cit. dif. 7. sec. 3. num. 18.*

L.VIII. Sed quid, si is, qui bonâ fide præscriptionem incepit, postea verò ex inscitia, & erronea conscientia dubitet, non solum, an res sua sit, sed etiam, an stante illo dubio, licitè eam possidere, & retinere possit? Respondet *Molin. cit. dis. 63. n. 11.* stando in solo jure naturali, & communibus legibus præscriptionis, licet illa possessio ex conscientia erronea sit illicita, & ille peccet, continuando cum ea mala fide possessionem, cum conscientia Petri v. g. per errorem illi dicat, quòd non possit licitè possidere; non tamen impediri possessionem, & præscriptionem, ob illam malam fidem; quia error in sola conscientia practica non adimit jus, quod quis, eâ exclusâ, re ipsâ habebat. Addit tamen, de facto talem errorem sufficere ad impediendam præscriptionem; quia ita specialiter statutum fuit in *l. Si fur; §. 2. ff. de usucap.* ubi dicitur, si quis id, quod possidet, non putet, sibi per leges licere uti capere, dicendum est, etiam si erret, non procedere tamen eius usucapionem; vel quia non bonâ fide videtur possidere; vel quia in jure erranti non procedit usucapio.

Verum probabilius est, absolute per talem malam fidem, seu iudicium erroneum impediri præscriptionem; ut docet *Lefs. cit. c. 6. num. 13.* & quidem etiam iuxta leges communes præscriptionis, ut censet *Lugo cit. sec. 3. num. 26.* Ratio est; tum quia istud iudicium, licet erroneum sit, inducit tamen peccatum in conscientia: at in *c. fm. h. t.* derogatur omni præscriptioni, quæ sine peccato mortali nequit observari; & requiritur, ut in nulla parte temporis rei alienæ conscientia habeatur, qualem habet, qui existimat, se rem, quam possidet, retinere non posse. Tum quia, quamvis is, qui bonâ fide cepit possidere, adveniente postea dubio, possit continuare possessionem, sine alterius iniuria;

S s s 2

si ta-

si tamen ipse per errorem putet, se non posse licite, & iuste continuare illam, eo ipso desinit habere bonam fidem, sive conscientiam non alieni; quia amittit iudicium dictans, posse rem licite à se retineri, absque ullius injuria, quod ad omnem præscriptionem legitimam prærequiritur: ac proinde error ille, sive mala fides ex eo orta semper impedit, vel interruptit præscriptionem, non tantum quoad inchoandam, sed etiam continuandam possessionem.

## S. V.

*An, & qualis ignorantia, sive facti, sive iuris, impediat bonam fidem, & consequenter etiam ipsam præscriptionem, vel non?*

LIX. Assertio 1. Qui ex ignorantia affectata, vel crassa putat, rem, quam possidet, esse suam, cum sit aliena, non possidet eam bonâ fide; adeoque non potest eam præscribere, etiamsi practicè iudicet, se licite illam possidere. Est communis DD. apud *Molin. tr. 2. dis. 64. num. 2.* Ratio est; quia præscriptio, cum tali ignorantia, non potest fieri sine peccato mortali: talis enim credulitas improbabilis æquivaleret scientiæ rei alienæ; adeoque præscriptio ex illa orta non minus reprobata est Jure Canonico in *c. ult. h. t.* quam ea, quæ fit ex conscientia rei alienæ.

LX. Assertio 2. Ignorantia invincibilis facti, vel etiam juris non liquidi, sed controversi, non excludit bonam fidem ad præscribendum necessariam. *Less. cit. c. 6. n. 18. & n. 16.* Prima pars quoad ignorantiam facti, est certa, & communis; quia ignorantia inculpabilis facti, sicut excusat à culpa, ita neque impedit bonam fidem, neque præscriptionem, cum non sit à jure reprobata; v. g. si quis rem accepit à fure, nesciens esse furem, vel à Prælatore Ecclesiæ, putans, Capitulum consensisse. Ratio secundæ partis est; tum quia ipsa ambiguitas juris, circa quod sunt diversæ Doctorum probabiles sententiæ, utramque partem facit probabilem, ita, ut in praxi utramvis prudenter sequi possimus; ac proinde non constituit possessorem in mala fide; tum quia hoc jus dubium, & incertum non est jus; cum de ratione juris, seu legis sit, esse manifestum. *c. 2. ibi: Manifesta quoque & c. dis. 4.* adeoque neque talis ignorantia dici potest ignorantia juris.

LXI. Assertio 3. Ignorantia juris clari, & indubitati impedit bonam fidem, & præscriptionem, in utroque foro, etiamsi sit invincibilis, seu inculpata. Est communior sententia DD. quam tenet *Abb. in c. Cum non liceat; 12. n. 8. h. t. Covarr. in Reg. Possessor. p. 2. §. 9. n. 8. Less. cit. c. 6. n. 14. Mol. tr. 2. de just. dis. 64. n. 4. Laym. cit. c. 8. num. 11. & alij.* Ratio est; quia, cum præscriptio, per quam aliquis amittit dominium rei suæ, & alius illud acquirit, sit introducta jure positivo, seu humano, præter jus naturæ, in ijs solum circumstantiis locum habet, in quibus jura illam concedunt: jura autem expressè dicunt, ignorantiam juris nunquam prodesse, vel suffi-

ficere ad præscriptionem. *l. 4. ff. de jur. & facti ignor. ubi dicitur: Juris ignorantiam in usucapione negatur prodesse; facti verò ignorantiam prodesse contra subintellige: modò invincibilis sit.* Et in *l. 31. ff. de usucap.* Nunquam in usucapionibus juris error prodesse fori prodest: & in *l. 2. §. Si à pupillo; ff. Pro emptor;* dicitur: Si à pupillo emero, sine tutoris auctoritate, quem puberem esse putem, dicimus usucapionem sequi &c. quòd si scias, pupillum esse; potes tamen, pupillis licere res suas, sine tutoris auctoritate, administrare, non capies usum; quia juris error nulli prodest.

Non obstat, quòd juris ignorantia, si invincibilis sit, est inculpata; & consequenter bonam fidem inducit, quæ ad præscribendum sufficit. Nam ad præscribendum requiritur quidem bona fides Theologicè, sive moraliter, hoc est, quæ excludat peccatum, sive malam fidem cum peccato, propter conscientiam, vel dubium rei alienæ, vel ignorantiam culpabilem, ob negligentiam inquirendi, an res sit aliena: sed ea bona fides sola non sufficit ad præscriptionem, si addit mala fides civiliter, sive iudicè, hoc est, reprobata à jure, quæ proinde vitiosa est, ac insufficientis ad effectum præscriptionis, utpote carens conditionibus à jure ad præscribendum requisitis, licet culpam Theologicam non habeat adjunctam. Unde in *l. Quemadmodum; 11. C. de agricol. & censuris lib. 11.* dicitur, malæ fidei possessorem esse, nullus ambigit, qui aliquid contra legum interdicta mercatur; idèque etiam præscribere non posse. *Molin. cit. dis. 64. num. 7. Laym. c. 1.* Ex quo patet, etsi Jure Canonico nulla præscriptio admittatur, quæ fit cum peccato, non tamen inde sequitur, quòd omnis admittatur, quæ fit sine peccato; quia illa etiam reprobatur à Jure Civili, approbante Jure Canonico, quæ fit cum culpa civili, & politica, etsi non cum Theologica, & peccato propriè dicto: quo sensu dicitur in *l. Sed usque; 25. §. Si ante; ff. de hered. petit.* post litem contestatam, omnes malæ fidei possessores esse, juris scilicet præsumptione, ac dispositione; quia nimirum leges prohibent ab eo tempore usucapionem procedere. *Laym. cit. c. 8. n. 10. in fine.*

LXII. Verum plures limitationes huius assertionis asserunt DD. passim, in quibus tamen non conveniunt. Veluti Primò, si ignorantia juris, & Theologicè, & iudicè, sive civiliter inculpata sit, ut in milite, minore 25. annis, mulieribus, rusticis non habentibus copiam peritorum, quos consultant, & similibus personis, in quibus ignorantia juris toleratur; tunc enim, sicut ea ignorantia non impedit bonam fidem Theologicam, & civilem, ita neque præscriptionem; quamvis *Zafius in Comment. ff. de juris, & facti ignor. num. 7.* dicat, mulieribus, & rusticis non passim subveniri, sed tantum in aliquibus casibus; ut indicatur in *l. Quamvis; 11. C. eod.*

Limitant secundò aliqui, tunc solum præscriptionem ex ignorantia juris non procedere, quando ultra bonam fidem, & certi temporis decursum, iustus titulus requiritur; uti in præscriptio- ne longi temporis. At verò præscriptionem longissimi temporis 30. vel 40. annorum, quæ titulum non requirit, sed solum bonam fidem, cum certi

temporis decursu, non videtur impedire ignorantiam; quippe, quæ de jure civili, cum mala fide, fieri potest, quod licet de Jure Canonico sit correctum, quoad malam fidem, quæ peccatum inducit, non tamen quoad malam fidem civilem, seu juridicam, quæ ex ignorantia juris invincibili procedit; ut patet in milite, minore &c. *Covarr. cit. p. 2. §. 7. num. 5. concl. 2. Less. cit. c. 6. num. 17. & alij apud Palao cit. pun. 22. §. 8. num. 5.* Ubi tamen rursus aliqui distinguunt, inter ignorantiam juris, cui jus positivè resistit; & ex tali ignorantia non procedit præscriptio, etiam longissimi temporis; quia, qui contra jura mercatur, censetur esse in mala fide: & inter ignorantiam juris, cui jus non assistit, nec tamen etiam resistit: tunc enim possessor non est in mala fide, saltem tali, quæ peccatum involvat; adeoque præscribere potest; prout videtur esse apud *Fachin. lib. 8. controv. c. 28.* Alij denique tenent, ignorantiam juris impedire præscriptionem, etiam longissimi temporis; quia generaliter, & indistinctè dicitur in pluribus legibus, ignorantiam juris non prodesse in usucapionibus, quibus subscrit *Fachin. c. l. quæ tamen non loquuntur de præscriptionibus longissimi temporis, sed longi solum, ut fatetur ipse Fachin.* Verùm has sententias inter se conciliare ad Legistas magis pertinet, cum oriuntur ex varia interpretatione legum civilium. Videri possunt, quæ de hac ancipiti controversia novissimè scripsit R. P. Christophorus Haunoldus *Tom. 1. de Iustitia. part. 5. c. 2. controv. 2. q. 2. n. 190. & seqq.* qui raro connubio Theologiae junxit scientiam juris in utraque eminenter excellens.

LXIII. Limitant tertio nonnulli, quod cum juris ignorantia possint præscribi fructus, quos possidens bonâ fide percepit, putans, se jus percipiendi habere. *Navarr. l. 1. consil. 11. de offic. jud. ordin. Less. c. l. num. 15.* sed hoc verum non videtur, saltem quoad fructus extantes, qui post rescissionem contractus, unâ cum re, restitui debent; ut notat *Laym. cit. c. 8. num. 11.* & bene refellit *Lugo cit. dis. 7. sec. 3. num. 30. & 31.* quia non potest ignorantia juris tollere bonam fidem erga rem, quin etiam tollat erga fructus ex illa perceptos: non enim potest possessor probabiliter credere, fructus alienos esse suos, si non possit credere, rem alienam esse suam, & si errat circa jus quoad rem, errat etiam circa jus quoad fructus, & non tantum errore facti, ut vult *Less.*

Limitant quartò, ignorantiam juris invincibilem non impedire, in foro conscientie, bonam fidem requisitam, & sufficientem ad præscribendum; ut probabile censet *Less. c. l. num. 17. Lugo c. l. num. 32. & seqq. Palao cit. §. 8. num. 7.* nam jura ideo negant, cum ignorantia juris, præscribi posse; quia non præsumunt bonam fidem; sed potius possidens contra jura manifesta ordinatiè præsumitur malâ fide possidere; ut patet ex *Reg. jur. 82. in 6.* Qui contra jura mercatur bonam fidem, non præsumitur habere: quia in foro externo ignorantia juris non præsumitur inculpabilis, sed culpabilis: juxta aliam regulam juris supra traditam, ignorantia facti, non juris excusat: quæ tamen, si invincibilis sit, in foro externo excusat à culpa, & à pœnis spiritualibus incurrendis: ergo similiter, cum in foro

conscientie, in quo de veritate, & de bona fide

constat, cesset ea præsumptio juris, non impediatur præscriptio ob ignorantiam juris inculpata. Idque confirmatur; quia in *cit. l. 4. ff. de jur. & facti ignor.* eodem rursus modo dicitur, ignorantiam juris usucapioni obesse, quo dicitur, ignorantiam facti prodesse: atqui in foro conscientie ignorantia facti non prodest, si sit culpabilis, licet in foro externo proficit, & admittatur; quia præsumitur culpabilis: ergo etiam in foro conscientie ignorantia juris non nocet, si sit inculpabilis, licet in foro externo noceat, nec admittatur; quia præsumitur inculpabilis. *Lugo c. l. n. 35.*

LXIV. Assertio 4. Licet ignorantia juris non proficit regulariter ad præscriptionem, prodest tamen, ubi de damno vitando agitur, juxta *l. 7. ff. de jur. & facti ignor.* ubi dicitur: Luris ignorantia non prodest acquirere volentibus; suum verò petentibus non nocet, id est, nunquam damnum infert. *Gl. fin. ibid.* quia error non est sufficiens causa, ut alicui res sua auferatur. *Zaf. ff. dicto tit. n. 3.* quin imò, si agatur de lucro captando, sive de acquirendo, nec feminis error juris prodest. *l. Error; 8. ff. eod. ubi dicitur: Juris error nec feminis in compendiis aliquid prodest: ubi etiam additur: Omnibus juris error in damnis amittendæ rei suæ non nocet.*

Ignorantia verò facti, alieni scilicet, nec in damno vitando, nec in Lucro captando obstat. *l. Regula; 9. §. Sed facti; ff. de jur. & facti ignor. l. Error; 7. C. eod. modò crassa, & supina non fit. l. Nec supina; 6. eod. at ignorantia facti proprii, etsi probabilis non sit, de damno tamen vitando agentibus non nocet; ut colligitur ex *l. Sed etsi; 22. ff. de condict. indeb.* quia iniquum foret, ut quis ex errore alterius commodum sentiat, cum illius jactura: si verò agatur de lucro acquirendo, obstat etiam ignorantia facti proprii. *Zaf. ff. eod. n. 2.**

## §. VI.

*An, & quomodo bona, vel mala fides auctoris, seu antecessoris proficit, vel obsit successoribus, in ordine ad præscriptionem?*

LXV. Assertio 1. Quisquis bonæ fidei possessori in re aliqua succedit, potest numerare etiam tempus antecessoris sui; adeoque uti accessione temporis illius, quo antecessor bonâ fide rem possedit, ut ipse bonâ etiam fide possidens compleat præscriptionem: nam, si quis rem ab altero accepit bonâ fide, titulo emptionis, donationis, legati, hereditatis, vel alio simili, quam ipse etiam bonâ fide tradidit, putans, esse suam, potest successor continuare præscriptionem, quam antecessor ipsius incepserat: neque tempus præscriptionis debet computare à tempore, quo ipse bonâ fide incipit possidere, sed à tempore, quo antecessor bonâ fide rem incepit possidere, v. g. si quis fundum alienum bonâ fide vendidit, quem quinque annis possedit, poterit is, qui emit bonâ fide, complere præscriptionem, si aliis quinque annis inter presentes bonâ fide illum possederit. *§. Inter venditorem; In-*

*lit. de usucap. & l. Id tempus* 3. 14. ff. eodem 3. & *l. Pomponius* 13. §. *Cum quis* 3. ff. *de acquir. poss.* *Molin. tr. 2. dis. 65. num. 3. Laym. lib. 3. tract. 1. c. 8. num. 17. Lugo cit. dis. 7. sec. 5. num. 57.* Ratio est; quia antecessor transferendo rem in alterum, simul etiam transfert totum jus, quod in re illa habebat: atqui possidendo rem per partem temporis requisiti ad præscribendum, acquisivit jus, ut possidendo adhuc per reliquum tempus, quod deest ad complementum, rem præscriberet: ergo hoc ipsum jus transfert in successorem.

LXVI. Assertio 2. Mala fides Antecessoris non nocet successori singulari, quocunque titulo succedat, sive oneroso, sive gratuito, sive ex testamento, vel legato, sive inter vivos, dummodo non sit heres, tamen computari non possit ad præscribendum tempus, quo antecessor, malâ fide, rem possedit, sed solum incipere potest præscriptionem, si bonam fidem habeat, à sua possessione. *Molin. cit. dis. 65. num. 1. Laym. c. l. n. 18.* & alij communiter. Probatur ex *l. An vitium* 5. ff. *de divers. & temp. præscript.* ubi dicitur, vitium Auctoris non obesse, nec prodesse emptori, vel legatario. Ratio est; quia, cum mala fides sit vitium personale, non transit cum re ad successorem singularem, qui censetur alia persona ab antecessore, ac proinde possessio in ipsum translata non debet infici à priore, & cum possessor bonam fidem, ac titulum habeat, poterit ex se incipere præscriptionem.

LXVII. Excipitur primò. Nisi res vitio reali affecta sit; quia furto ablata, aut violenter occupata fuit: tunc enim nec à bonæ fidei possessore præscribi potest, saltem tempore ordinario; ut patet ex supra dictis *num. 14. & seq.* Excipitur secundò, si res immobilis, quæ aliàs infra decem, vel viginti annos præscribi potest, possideatur, vel alienetur, ignorante illo, ad quem pertinet: tunc enim ab eo, qui illam accepit à possessore malæ fidei, non poterit ante annos XXX. præscribi; ut constat ex *Auth. Mala fidei*; *C. de præscript. long. temp.* quæ est desumpta ex *Auth. Ut sponsalitia largitas* §. *Rursus*; *collat. 9.* qui est casus specialis, in quo mala fides Auctoris nocet successori particulari ad præscribendum cum bona fide. *Molin. c. l. n. 1. & 2.* ubi addit, hanc authenticam, cum solum loquatur de præscriptione decem, vel viginti annorum, adeoque rerum immobilium, non habere locum in præscriptione rerum mobilium; sed eas præscribi ordinario tempore.

LXVIII. Assertio 3. Mala fides Theologica, cum conscientia rei alienæ, antecessoris nocet successori universali, hoc est, heredi, ita, ut talis successor præscribere nunquam possit, etiam si bonam fidem habeat, neque computare velit tempus, quo antecessor rem malâ fide possedit. Ita habetur expressè in *l. Cum heres* 11. ff. *de divers. & temp. præscript.* & in *l. ult. C. Communia de usuc.* ubi Rubrica Baldi ait: vitium defuncti nocet eius successori universali, etiam bonam fidem habenti, & §. *Distinta*; *junct. Gl. V. Quod nostra*; *Instit. de usucap. & docet ex communi Abb. in c. Si diligenti* 17. num. 29. *h. t. Covarr. in reg. Possessor*; *p. 2. §. 9. num. 1. Molin. c. l. num. 4.* Ratio est; tum quia, cum heres, seu successor universalis ita repræsentet personam defun-

cti, ut succedat in omnia eius jura, obligationes, & onera, reputatur eadem persona cum antecessore: sicut ergo hic, ob malam fidem, non potuit præscribere; quia contraxit obligationem restituendi, ita res in hac ipsa obligatione ei succedens poterit præscribere. Tum quia possessio heredis, fictione juris, eadem censetur cum possessione defuncti, cum personam jure refert: si igitur possessio defuncti infecta fuit, ob malam fidem, etiam heredis possessio infecta erit: vitia enim possessionum à malis contracta perdurant, & successorem Auctoris sui culpa comitatur. *l. Vitia* 11. *C. de acquir. poss.* Neque verò ab hoc vitio excusatur heres, eo quod inventarium confecerit: nam confectio inventarii non tollit, quin heres rem acceperit à possessore malæ fidei, titulo heredis; & consequenter cum vitii, quibus talis res affecta fuit: quin imò confectio inventarii demonstrat, rem illam, non alio, quam heredis titulo acceptam esse. *Covarr. c. l. §. 9. n. 1. Molin. c. l. num. 4.* Neque etiam excusatur ex eo, quod velit præscriptionem à se ipso incipere, non titulo pro herede, sed titulo, quo defunctus rem illam possedit: nam, si titulus ille in defuncto vitiosus fuit, ob malam eius fidem, etiam in herede erit. *Covarr. c. l.*

LXIX. Excipitur primò. Nisi heres, præter titulum hereditatis, habeat alium titulum, v. g. donationis, emptionis, quo rem possit præscribere: tunc enim mala fides defuncti ei non nocet. Vt si defunctus rem, quam priùs alicui pignori dedit, postea alteri vendidit, & heres eam emat, vel redimat: tunc enim mala fides defuncti non impedit, quo minus heres possit eam præscribere, qui non titulo heredis, sed redemptoris eam possidet; prout habetur in *l. An vitium* §. *Ex post facto*; ff. *de divers. & temp. præscript.* *Covarr. cit. p. 2. §. 9. num. 5. in 4. coroll. Molin. cit. dis. 65. num. 5.*

LXX. Excipitur secundò. Nisi non sit heres immediatus illius, qui malam fidem habuit, sed mediatum, vel ulterior, hoc est, heres heredis, qui bonam fidem habuit, sed præscribere non potuit, ob malam fidem defuncti, quem repræsentabat: tunc enim mediatum heres bonam fidem habens potuit incipere præscriptionem, non numerando tempus, quo possedit suus antecessor, saltem, si non sit heres suus. *Covarr. cit. §. 9. n. 6. Molin. c. l. n. 7. Less. cit. c. 6. n. 41.* Ratio est; quia primus heres solum repræsentat immediatum antecessorem, cuius ipse est heres: hic autem verè habuit bonam fidem, & fictione tantum juris censebatur habere malam fidem, quatenus repræsentat personam defuncti, qui malâ fide possidebat; ideoque mala fides, seu vitium mediatæ possessionis ad mediatum heredem non transit: alioquin daretur duplex fictio malæ fidei, una, quæ afficit heredem immediatum, altera, quæ mediatum, cum tamen à jure reprobata sit duplex fictio in una, eademque causa: nam mala fides est vitium personæ, quod ad heredem immediatum non transit jure naturæ, sed solum fictione juris, ob quam censetur eadem persona cum defuncto, nisi tamen sit heres suus, sive necessarius, qui tempore mortis eum sub potestate patris, vel avi, cui immediatè succedat: is enim non censetur rem ex novo titulo posside-

dere, sed ex titulo prædecessoris, cuius dominium censetur juris fictione continuare, ac proinde, sicut prædecessor non poterat rem præscribere, ita nec eius successor, nisi continuet etiam possessionem, cum bona fide, tanto tempore, quantum requiritur ad præscribendum sine titulo, videlicet 30. annorum. *Molin. c. l. n. 9. Lefs. c. l.*

Verùm contrariam sententiam affirmativam, quòd mala fides primi defuncti etiam obstat heredi mediato, tenent plures alij: cuius sententiæ rationem hanc dat *Lugo cit. disp. 7. sec. 5. num. 61.* quia obligatio restituendi, & satisfaciendi orta ex delicto, sive malà fide defuncti, transit etiam ad heredem mediatum, non obstante bonà eius fide; cum generatim heres universalis, sive immediatus, sive mediatus teneatur ad omnia debita defuncti, saltem juxta vires hereditatis. Sed hoc non obstat, quòd minùs heres mediatus per præscriptionem acquirere possit dominium rei, licet teneatur ad reparandum damnus alteri per acquisitionem dominij illatum, ut, si quis emat equum, qui etiam ipsi traditus est, quem scit jam alteri obligatum.

LXXI. Excipitur tertio. Mala fides antecessoris non nocet successorì in dignitate, vel alio beneficio Ecclesiastico; quia hic ab eo titulum, seu causam non habet, sed à collatore: quare talis successor potest cum bona fide præscribere dignitatem, vel beneficium ad alium pertinens, non computando tempus, quo malà fide possidebat antecessor, cuius ipse personam non repræsentat, neque possidet tanquam heres illius, sed ex collatione eius, ad quem pertinet dignitatem, vel beneficium conferre, modò non utatur accessione possessionis illius, cui successit. *Covarr. cit. §. 9. Vers. 7. Ap. par.*

LXXII. Ceterùm, quòd dictum est, malam fidem antecessoris nocere successorì universali, seu heredi, saltem immediato, id extenditur primò, quòd illi obstat, non tantùm quoad præscriptionem ordinarij temporis, sed etiam longissimi; ut docet *Covarr. cit. §. 9. num. 4. Fachin. l. 8. contr. c. 27. in respons. ad 7. Palao cit. p. 22. §. 9. num. 3.* Ratio est: nam, quamvis de Jure Civili ad præscriptionem longissimi temporis non requiratur bona fides, & Jus Canonicum solam malam fidem inducentem peccatum reprobaverit; non tamen malam fidem fictam, seu præsumptam reprobavit; quòd minùs adhuc impediatur præscriptionem in herede, quatenus heres personam defuncti refert, & propter verè malam fidem defuncti ipse præsumitur quoque esse in mala fide: sicut ergo olim, ob vitium, & malam fidem defuncti, heres non poterat præscribere longo tempore decem, vel viginti annorum, etiam de Jure civili, ita etiam nunc non potest præscribere per longissimum tempus, ob malam fidem; cum omni tempore defuncti vera bona fides requiratur ad præscriptionem.

LXXIII. Extenditur secundò tradita doctrina, quòd mala fides auctoris nocet successorì universali, non tantùm quoad particulares personas, seu heredes, qui succedunt uni defuncto, sed etiam quoad universitatem v. g. civitatem, in qua cives posteri succedunt in iuribus, & oneribus an-

tecessorum suorum: ac proinde neque successores, etsi bona fidei, præscribere possunt rem, quam antecessores malà fide possederunt: siquidem possessio, quæ ab initio vitiosa erat apud populum, omnino eadem, & invariata maneat, neque à populo ad alium per alienationem sit translata: tunc enim locum habet *Regula Juris 29. in ff.* Quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere: & quamvis priores illi cives, qui habuerunt malam fidem, obierint, & alij bona fidei possessores in locum eorum successerint, eadem tamen civitas, idemque populus esse censetur, qui abhinc centum annis fuerat; ut dicitur in *l. Proponebatur; 76. ff. de judic. & consequenter censetur semper esse in mala fide. Fachin. lib. 8. contr. c. 25. & est communior sententia DD.*

Ex quo inferitur, si Monasterium v. g. ante annos 200. vel 300. prædium vendidit alicui civitati, sine debita solemnitate, v. g. absque consensu Episcopi, cui est subjectum, illud repetere poterit à successoribus, videlicet à Magistratu, & populo: si quidem antecessores illorum, non per errorem facti, sed juris illud emerunt; quia putarunt, consensum Episcopi non requiri: vel fortè illum non intervenisse, sciverunt: & si id à Monasterio probari potest: alioquin verò in dubio, ob temporis diuturnitatem, præsumendum erit, quòd Episcopus postea venditionem illam approbaverit, vel ratificaverit: vel, quòd civitas potius errore facti, quàm juris prædium emerit; cum in dubio præsumendum sit, actum legitime celebratum esse, ita, ut valeat. *Laym. in c. ult. h. t.*

LXXIV. Assertio 4. Quando defunctus possidebat, non bonà fide, & sine titulo; ideòque indigebat longiore tempore ad præscribendum; eius heres, si non sit suus, sed extraneus, poterit breviori tempore præscribere; quia jam incipit bonà fide possidere, & cum titulo hereditatis. Si autem sit heres suus, ac necessarius, non poterit breviori tempore præscribere, sed debet continuare tempus sui antecessoris, usque ad tempus requisitum ad præscribendum, sine titulo; quia heres suus, videlicet filiusfamilias censetur fictione juris continuare eius dominium, tanquam unus & idem cum patre; ideòque, cum etiam ante aditam hereditatem acquirat dominium illius rei, non censetur habere novum titulum ad acquirendum dominium rerum futurarum; & consequenter neque ad præscribendum: sed debet continuare possessionem, cum bona fide, tanto tempore, quantum requiritur ad præscribendum sine titulo, videlicet 30. annorum; prout habetur in *l. 2. C. Communia pro herede; & l. 2. §. Filium quoque; ff. pro herede.* poterit tamen heres suus, sive filiusfamilias renunciare illi titulo suitatis, & succedere patri, titulo agnationis, vel cognationis, vel successionis jure Prætorio, ut filius emancipatus, secundum quod non spectatur suitas, vel patria potestas; & tunc habebit jam titulum ad præscribendum suo nomine. *Covarr. cit. p. 2. §. 5. num. 3. & 4. Mol. cit. disp. 65. num. 9.*

\*\*\*

## §. VII.

*An mala fides, respectu unius, impediatur præscriptionem respectu alterius?*

LXXV. Assertio 1. Mala fides, respectu unius rei, vel juris, non impedit præscriptionem alterius rei, vel juris distincti; sed bona fides solum requiritur, respectu illius rei, vel juris, quod præscribitur *Covarr. cit. p. 2. §. 8. n. 5. Molin. tr. 2. disp. 63. num. 13. & 14. Fachin. lib. 8. contr. c. 34. Lugo cit. sec. 3. num. 28. Palso cit. p. 22. §. 10. n. 2. v.g. si quis habeat malam fidem, quoad unam partem fundi, vel quoad proprietatem fundi, quem possidet; sed bonam respectu alterius partis, vel usufructus fundi: poterit hanc, vel illam partem præscribere: non tamen proprietatem, vel alteram partem, & vice versa. Item, si quis possidet fundum titulo emptionis, sed dubitat, an venditor fuerit dominus: si tamen bonâ fide putat, alio titulo v.g. hereditariâ successionis illum fundum ad se pertinere, poterit illum præscribere; quia bonâ fide possidet, respectu alterius tituli; ut habetur in *l. Si quis fundum; 43. ff. de acquir. poss.**

LXXVI. Assertio 2. Mala fides, quâ possidet res, vel jus aliquod, impedit præscriptionem, non solum respectu unius, sed etiam omnium aliarum personarum diversarum, v.g. qui putat, fundum alienum, quem possidet, esse Titij, cum tamen sit Sempronij, non potest præscribere, nec contra Titium, neque contra Sempronium; quia satis est, eum scire, rem alienam esse. *Abb. in c. Illud; 8. num. 8. & 9. h. t. Covarr. c. l. Molin. cit. loc. num. 12. & alij; & aperte colligitur ex l. Aut qui; 5. §. Si quis, dum putat; ff. quod vi, aut clam. ubi dicitur, si quis, dum putat, locum tuum esse, qui meus est, celandi tui, non mei causâ fecerit, mihi interdictionem competere. Ratio est; quia ad præscribendum requiritur, ut quis in nulla parte temporis conscientiam habeat rei alienæ, c. ult. h. t. At eo ipso, quo quis putat, rem à se possessam esse Titij, quæ est Sempronij, conscientiam habet, rem esse alienam, licet nesciat, cuius sit; imò putat, esse huius, cum sit alterius: ergo non potest præscribere: ea enim præscriptio fieret cum peccato. Ubi tamen notandum, quando mala fides non vero possessori supervenit, sed opinio quadam falsa; quia scilicet per errorem rem putabat esse Titij, quâ opinione, vel dubio cessante, non dubitabat, esse suam, talis non est in mala fide, sed dubium solum, seu suasionem habet, esse rem alienam: quare, etsi non possit cum tali dubio incipere præscriptionem, potest tamen continuare cœptam; quia dubium est merè speculativum: dubitat enim, an res sit sua, & existimat, esse Titij, sed non putat, se peccare, possidendo, & retinendo rem Titij, donec de eius jure constiterit. *Fachin. c. l. in fine, & patet ex supra dictis.**



## §. VIII.

*An, & qualiter mala, vel bona fides Prælati possit obesse, vel prodesse Ecclesie, quoad præscriptionem?*

LXXVII. Assertio 1. Si Prælati sciat, rem alienam ab Ecclesia, vel Monasterio possideri, hoc autem sit in bona fide; tum vel notoriè constat, rem esse alienam; & non potest Prælati eam retinere, sed restituere debet; quia ad boni administrationis officium pertinet, ut aliena non retineat, cum injuria alterius. *Arg. c. Generalis; 12. in fine disp. 54. ubi dicitur, nihil perire credimus Ecclesiasticis utilitatibus, si, quæ sunt aliena, reddantur; neque hoc calucentur solus Prælati alienare rem Ecclesie, cum notorium sit, non esse Ecclesie. Abb. in c. ult. num. 41. h. t. Vel notoriè non constat, rem esse alienam, nec Prælati id probare potest; tunc potest retinere. *Arg. c. 2. caus. 6. q. 2. quia frustra restitueret, neque ipsi soli fides haberetur, quòd res aliena sit, cum non possit res Ecclesie alienare, nisi ex justa causa alienationis, eaque probatâ. Abb. c. l. num. 41. Verumtamen, si putet, quòd dominus jus suum probaturus sit, debet id ei significare, ut jus suum protequi possit; ut tradit *Gl. in cit. c. Generalis; 17. Redamur; & Gl. fin. in cit. c. ult. h. t.***

LXXVIII. Assertio 2. Si Prælati habeat scientiam rei alienæ; Capitulum verò, vel Conventus sit in bona fide; probabilis est, præscriptionem locum non habere, si res communiter possideatur à Prælato, & Capitulo; quia requiritur, ut & Prælati, & maior pars Capituli bonam fidem habeat, cum Prælati sine Capitulo totam rem præscribere non possit: & cum lex præscriptionis sit odiosa potius; quippe, quæ introducta est, præter jus naturale; ideo extendenda non est, sed restringenda, ita, ut propter malam fidem unius partis, nempe Prælati, destruat bona fides alterius, scilicet Capituli in re, quam communiter, & pro indiviso possident, vel vice versa. *Laym. in cit. c. ult. n. 7. Licet Alex. de Novo ibid. num. 36. contrarium tenet.*

LXXIX. Assertio 3. Si Prælati confiteatur in judicio, rem alienam esse, non præjudicat Ecclesie, nisi mandatum habeat ab Ecclesia, vel Capitulo. *c. 2. de testib. in 6. & tradit Gl. fin. in cit. c. ult. h. t. & Gl. in c. 4. V. Nescio; disp. 22. Vel nisi præsumptio juris sit contra Ecclesiam, quòd res aliena sit. *Arg. c. Si diligenti; 17. & ibid. Abb. num. 4. h. t. Felin. in cit. c. ult. num. 11. eod. Vel nisi confessio fiat in bonis divisis, quæ scilicet ad solum Prælatum, & non simul ad Conventum pertinent; tunc potest confessio Prælati ipsi obesse, scilicet rem quam diu ipse vivit, ita tamen, ut successori obetur restitutum in integrum. *Felin. c. l.***

LXXX. Prædictis addendum, quòd taciturnitas, & patientia Prælati non repetentis in judicio bona Ecclesie, non præjudicat successoribus, quòd minus ea repetere possint; prout sumitur ex *c. Nihil prodest; 2. h. t. quod est desumptum ex lib. 2. Regis S. Gregorii I. qui ad quandam Patritiam scriptum, tametsi ipse jura quædam Ecclesiarum, pacè servavit.*

servandæ causâ, & ne tumultus, vel scandala oriantur, in Judicio repetere intermiserit, imò etiam, se non repetiturum, promiserit: per talem taciturnitatem, aut patientiam nolle se in rebus pauperum (sive ad pias causas, vel Ecclesiis relictiis) præiudicium aliquod generari. Ratio est; quia, sicut Prælati talia bona expressè donare non potest, ita nec tacitè, per renunciacionem præsumptam ex taciturnitate: potest tamen propter negligentiam, aut taciturnitatem Prælati præscribi contra Jura Ecclesiæ, cum bona fide orta ex ignorantia; quia scilicet is, qui præscribit, putat, Jus, v. g. decimarum, non ad Ecclesiam illam, sed ad se spectare. *Laym. l. 3. tract. 4. cap. 10. n. 6. in fine.*

Ubi præterea Notandum primò. Potest Prælati, ob vitandum scandalum, aliquid de Juribus Ecclesiæ, vel causarum piarum remittere, sine præiudicio tamen Successorum: idèòque ad impediendam præscriptionem, debet interdum fieri protestatio, quòd talis remissio, non ex obligatione, sed liberaliter fiat; ut patet ex hoc cap.

Notandum secundò. Si Prælati verisimiliter existimet, se recuperaturum res Ecclesiæ, sine lite, vel strepitu Judiciorum, potest Judicium differre; prout in casu huius cap. fecit Pontifex; & notat *Abb. hic num. 4.* Porro alius intellectus, seu expositio huius cap. est, quòd non currebat præscriptio, ob taciturnitatem Romani Pontificis; quia Patria violentè invaserat possessiones, seu bona Ecclesiæ, aut pauperum; ut tradit *Glos. fin. hic; & alii Interpretes communiter.*

## S E C T I O III.

DE TERTIA, ET QUARTA CONDITIONE, videlicet de titulo, & tempore ad præscribendum necessario.

## §. I.

An, & qualis Titulus requiratur, ac sufficiat ad præscriptionem, & quando nullus requiratur?

LXXXI. Assertio 1. Ordinariè, præter bonam fidem, requiritur justus Titulus: nam absque hoc non potest dominium per præscriptionem acquiri, juxta *l. Nulla; 24. C. de rei vindic.* Ratio est; quia Titulus est causa, & fundamentum justæ possessionis: sine Titulo enim non potest quis habere bonam fidem initio possessionis: non enim potest credere, se habere Jus possidendi, nisi credat, se habere Titulum, ex quo hoc Jus oritur. Neque verò sufficit quilibet Titulus; sed requiritur talis, qui ex se sit habilis ad transferendum dominium, licet per accidens non transferat, ob intervenientem probabilem ignorantiam, ac justum errorem. Unde conductor, commodatarius, depositarius non possunt præscribere rem conductam, commodatam, depositam; quia non sunt illi iusti tituli, id est, per se habiles, & sufficientes ad transferendum dominium. *Covarr. in Reg. Possessor. p. 2. §. 5. n. 1.* Iusti autem tituli sunt emptio, donatio, solutio debiti, quando res aliena ex causa debiti est accepta;

*Tomus II.*

hereditas, cum quis pro herede possidet, quia possidet ex causa hereditatis; vel pro possessore, qui ex causa possessionis; titulus pro legato, si res alicui legata sit; titulus pro derelicto, quo quis rem possidet, à non domino pro derelicto habitam, & ab alio possessam; titulus pro suo, si quis possidet rem tanquam suam, cum tamen sit aliena; transactio, & similes, de quibus agitur in *ff. lib. 41. t. 4. & pluribus seqq. & in Cod. lib. 7. tit. 26. & pluribus seqq.*

Porro, tres sunt tituli, qui ad præscriptionem saltem quandoque sufficere possunt: Primus est coloratus, seu apparens; quia bonâ fide putatur esse verus, & validus, quamvis re verâ non sit validus: nam titulus verus, v. g. vera, & valida donatio, vel emptio, sine præscriptione, sufficit ad transferendum dominium: titulus verò apparens, licet sit insufficientis ad transferendum dominium: est tamen sufficiens ad præscribendum certo quodam tempore; idèòque transulisse dicitur usucapiendi conditionem. *Covarr. cit. loc. Molina cit. dif. 64. num. 1.* Talis titulus coloratus, seu apparens est, v. g. donatio, vel emptio, quæ ob latentem defectum non erat valida, quippe facta à non domino, qui tamen putabatur esse dominus; vel saltem potestatem donandi, aut vendendi habere, quam non habuit. Secundus titulus vocari solet existimatus tantum, ut, si v. g. heres alicui tradat rem, quasi debitam ex Legato, cum re verâ legata non sit. Tertius vocatur præsumptus tantum, scilicet quando ob temporis diuturnitatem Jus præsumit intervenisse titulum, cum fortè non intervenit, nec à possessore in specie allegari possit, qualis fuerit: & hic etiam quandoque sufficit, ut ex infra dicendis patebit.

LXXXII. Assertio 2. In præscriptione ordinaria longi temporis, videlicet decem, vel viginti annorum, sicut & in triennali usucapione, titulus non præsumitur; sed requiritur, ut allegetur, & probeatur certus titulus, coloratus, vel existimatus; ut constat ex *l. Celsus; 22. ff. h. t. & clariùs ex l. Nullo; 24. C. de rei vindic.* ubi dicitur: Nullo justo titulo præcedente possidentes juris ratio querere dominium prohibet: idcirco, cum etiam usucapio cesset, intentio dominij nunquam absumitur, & *l. Diutina; 4. C. de præscript. long. temp. & in princ. Instit. de usucap. ex quibus Juribus patet, quòd hæc præscriptio ex Juris dispositione titulum requirat, nec bona fides præsumitur in ea, sine titulo.* Idque procedit, non solum Jure Civili, sed etiam Canonico. *cap. Placuit; 15. §. Potest etiam aliter, caus. 16. q. 3.* nam quoad titulum nullum est inter utrumque Jus discrimen; ut docet *Covarr. cit. p. 2. §. 5. n. 2. contra Gratianum ibidem.*

LXXXIII. Assertio 3. In præscriptione longissimi temporis 30. vel 40. annorum ordinariè, nec Jure Civili, nec Canonico requiritur titulus, sed sufficit bona fides, quâ præscribens credit, se titulum habere, seu causam possidendi, tametsi fortè non habeat; ut constat ex *l. Sicut; 3. & l. Omnes; 4. C. de præscr. 30. vel 40. ann. cit. cap. Placuit. §. Potest etiam; Dynus in Reg. possessor. num. 26. & 27. Covarr. cit. §. 5. conclus. 2.* Multo minùs in præscriptione centenariâ, & immemoriali requiritur titulus, nec eius allegatio, vel probatio, sed sufficit bona fides. *Covarr. c. l. n. 2. concl. 3. & 4. & alii communiter.* Ratio est: tum quia tempus immemoriale habet vim tituli præsumpti, hoc est,

T t t

hoc est,

hoc est, vim privilegij à Principe concessi, & vim legis etiam obtinet. *Harprecht Instit. de usucap. in princ. num. 104. & 105.* sed de hac plura infra.

LXXXIV. Assertio 4. In præscriptione, sive centenariâ adversus Ecclesiam Romanam, sive quadragenariâ contra Ecclesiam inferiorem, si Jus commune resistat præscribenti, vel alia adversus eum præsumptio existat, non sufficit bona fides ad præscribendum; sed requiritur etiam allegatio, & probatio legitimi tituli, qui possessori causam tribuat præscribendi, nisi tanti temporis possessio probetur, cuius initij memoria nulla existat. *Covarr. cit. §. 5. num. 2. conclus. 5.* idque quoad titulum probatur in primis ex *cap. Si diligenti; 17. h. t.* ubi dicitur, quòd in præscriptione rerum Ecclesiasticarum bona fides, & justus titulus exiguntur. Casus autem talis ibi proponitur: Archiepiscopus Pisanus juramentum fidelitatis exegit, & accepit à Judice Carolitano Marchione Massæ, quod Innocentius III. ei non licuisse, declaravit, eò quòd Judicatus, sive Tribunal Calaritanum immediatè ad proprietatem Ecclesiæ Romanæ pertineat, sicut tota Sardinia. Quamvis verò Archiepiscopus se excusare volens, dixerit, quòd secundum antiquam Antecessorum suorum consuetudinem, juramentum hoc receperit pro Ecclesia Romana, & vice illius: Papa tamen respondit, neque ipsum, neque Ecclesiam eius aliquo jure nixam esse; cum auctoritatem Sedis Apostolicæ non exhibeat, per quam ipse, vel eius Antecessores juramentum fidelitatis à dictis Judicibus exegerint: neque etiam præscriptione aliquâ muniat, quandoquidem Archiepiscopus constitetur, ipsum, vel Ecclesiam eius, non fuisse in quasi possessione juris exigendi huiusmodi juramentum; sed Ecclesiam Romanam, quippe cuius nomine exactum, & præstitum fuit hoc juramentum: nam & is possidere dicitur, cuius nomine possidetur. Sin autem dicatur, quòd Archiepiscopus, & Antecessores eius, suo nomine, & non Papæ, vel Romanæ Ecclesiæ, iuramentum exegerint; tum sequitur, quòd Archiepiscopi Pisani iuramentum suum de jure, & honore Sedis Apostolicæ conservando violârunt; & ideo non debeant in tali possessione exigendi juramentum fidelitatis suo nomine permanere; cum ad præscriptionem contra jura Ecclesiarum bona fides & justus titulus exigantur. Denique, etsi ponamus præscriptionem locum habere potuisse, tamen non est credibile, centenariam præscriptionem, quæ sola contra Romanam Ecclesiam currit, probari posse.

LXXXV. Hinc colligitur primò. Qui alieno nomine possidet, etiam jura incorporalia, ut in casu huius cap. Jus exigendi iuramentum fidelitatis, nomine Ecclesiæ Romanæ, ea non præscribit sibi; cum ipse non possideat, sed alius, cuius nomine possidetur: adeòque deficit substantiâ præscriptionis respectu illius, videlicet possessio obtenta proprio nomine. *Barb. hic in Collectan. n. 7.*

Colligitur secundò. Si Jus commune resistat præscribenti, non sufficit bona fides, sed requiritur etiam justus titulus coloratus, vel existimatus, ut contra Ecclesiam præscribatur annis quadraginta. Imò centenaria ad præscribendum contra Ecclesiam Romanam; ut in casu huius cap. Jus commune resistebat

Archiepiscopo Pisano, quò minus legitime exigetur suo nomine iuramentum fidelitatis à Judicibus Carolitanis; quia locus ille, in quo Judicatus, sive Tribunal illud erat, immediatè, quoad directum dominium, seu proprietatem, pertinebat ad Ecclesiam Romanam, licet utile dominium jure feudi pertineret ad Archiepiscopum Pisanum; ut notat *Innocentius hic in princ.* Nam hoc juramentum solum exigi potest ab illo, & præstari ei, qui supremam jurisdictionem territorialem in loco obtinet, sicut hic Papa, & Ecclesia Romana obtinebat, & non Archiepiscopus, idèque non censetur bonâ fide tale jus possidere, nisi privilegium à Papa concessum exhiberet. Accedit, quòd etiam ex propria confessione Archiepiscopi gravis præsumptio contra illum orta fuit, quòd Tribunal illud, non ad Archiepiscopum, sed ad Papam, & Ecclesiam Romanam pertinere; quia ipse confessus fuit, quòd & ipse, & Antecessores eius, sæpe exegerint illud juramentum fidelitatis, nomine Ecclesiæ Romanæ, cui ipsorum ministerio fuerit præstitum. *Abb. hic n. 34. & Barb. n. 11.*

LXXXVI. Deinde probatur assertio supradicta ex *cap. Episcopum; 1. h. t. in 6.* ubi statuitur, si unus Episcopus, v. g. Augustanus, Ecclesias, & decimas; quia in sua Diocesi sunt constituta, ab alio Episcopo, v. g. Constantiensi repetat; hic verò excipiat, se illas legitime præscripsisse (spatio scilicet quadraginta annorum) hoc casu, non sufficit tempus longissimum, sed requiritur, ut Episcopus Constantiensis titulum præscriptionis alleget, ac præbet; quia jus commune est contra illum: nam licet sufficiat, cum, qui præscribit rem Ecclesiasticam, habere bonam fidem, quando non est contractum ipsi jus commune, vel nulla alia contra illum præsumptio existit: si tamen vel jus commune sit contra possessorem, vel alia præsumptio; tunc ad præscribendum non sufficit bonæ fidei possessio, nisi etiam titulus addit, qui possessori causam tribuat possidendi: vel nisi tanti temporis possessio allegatur, & probetur, cuius initij memoria non extat.

LXXXVII. Pro intellectu huius cap. Notandum primò. Si jus commune sit contra possessorem, ut etiam resistat potentia, sive habilitati possidentem; tunc nec cum titulo præscribi ullo tempore potest; quia sine possessione non procedit præscriptio: exemplum habetur in laicis, qui sunt incapaces possidendi Jus decimarum. *Abb. inc. Si diligenti; 17. n. 34. h. t. Molin. tr. 2. de just. dif. 75. n. 6.* Si verò spectetur Jus commune, res, quæ possidetur, non debeat pertinere ad possessorem; Jus id positivè prohibente, tametsi non reddat possessorem incapacem possidendi, nec prohibeat, quò minus possit ad illum pertinere Jus specialis; tunc præter bonam fidem, & tempus ordinarium ad præscribendum requiritur titulus appropinquenter justus, vel tempus immemorabile, juxta *cit. cap. 1. h. t. in 6.* & tradit *Gl. ibid. V. Titulum.* Sic spectato Jus commune, omnes Ecclesiæ, intra territorium cuiusque Diocesis constitutæ, ad Episcopum illius Diocesis pertinere debent. *cap. Omnes; 10. caus. 16. q. 7.* quamvis Jus speciali etiam ad alienum Episcopum pertinere possint: idèque extraneus Episcopus Ecclesiæ extra Diocesis suam fitas præscribere potest quadraginta annis cum titulo, vel sine illo tempore immemorabili. *Molin. c. l. n. 3.*

Notandum secundò. Si jus commune prædicto modo repugnet possessori, tunc is non censetur bonâ fide possidere, in ordine ad præscribendum; quia jus commune error, seu ignorantia non prodest in usucapionibus. *l. Nunquam; 31. ff. de usucap. & qui contra jura mercatur, bonam fidem non præsumitur habere. Reg. Jur. 82. in 6.* ac proinde non potest præscribere, etiam tempore longissimo, nisi adsit titulus, qui det justam causam possidendi, per quam tollitur præsumptio malæ fidei, quæ ex jure communis possessori resistenti oritur, & bona fides inducitur. Idemque dicendum est, si alia gravis, ac vehemens juris præsumptio sit contra possidentem: tunc enim, cum cesset præsumptio bonæ fidei, non habet locum præscriptio etiam longissimi temporis, sine titulo probabili. *Abb. in cit. cap. Si diligenti; n. 35.* Quod si præscribens alleget, & probet possessionem temporis immemorialis, non requiritur titulus: quia talis immemorialis possessio, si capacitas sit in possidente, tribuit præsumptionem tituli, seu instar tituli esse censetur. *Covarr. cit. p. 2. c. 1. §. 3. n. 7. Molin. cit. dis. 7. n. 1.*

LXXXVIII. Notandum tertio. Non solum, si jus commune resistat possessori, sive præscribenti, & simul assistat petitori, aut Actori, adversus quem præscribitur, sed etiam, si jus commune resistat solum præscribenti, tamen adversario, contra quem præscribitur, non assistat, titulus est necessarius; ut docet *Abb. in cit. cap. Si diligenti; n. 35. h. t. Mol. cit. dis. 75. n. 4.* & colligitur ex *cit. cap. 1. h. t. in 6. ibi: Cum Jus commune contra ipsum faciat. & ibi: Ubi tamen est ei Jus commune contrarium: tunc enim præsumitur possessor rem injustè occupasse, etiamsi adversario non assistat. Contrarium tamen, quod præter tempus legitimum, & bonam fidem, non requiritur titulus, etiamsi jus non assistat ei, contra quem præscribitur, nec fundet intentionem ipsius, tradit *Gl. in cap. 2. V. Eundem Clericum de restit. spoliat. in 6. & in cit. cap. 1. V. Titulum. h. t. in 6. Alexand. de Nevo in cit. cap. Si diligenti; n. 53. h. t.* Eaque sententia est valde probabilis. Ratio est; quia, si jus commune non assistat petitori, sive Actori; adeoque non fundet intentionem adversarii; tunc nec possessori resistit, in ordine ad hunc petiorem: ac proinde præsumptio bonæ fidei erit pro possessore, respectu hujus petitoris: siquidem in pari causa melior est conditio possidentis, v. g. si inter duos Parochos lis sit super decimis, quæ non in ipsorum, sed in tertiâ alterius Parochi Parochiâ existunt, & unus Parochus petat decimas ab altero in Judicio, & Parochus conventus opponat, se præscripsisse, possidendo illas per 40. annos, cum bona fide, non erit opus, ut alleget, & probet titulum; quia, licet jus commune resistat possessori, seu præscribenti, non assistit petitori, adversus quem præscribitur.*

Notandum quartò. In omni præscriptione, etiam centenariâ, & immemoriali, quamvis probatio tituli non requiritur, si tamen constet, præscribentem, cum titulo vitioso, seu inhabili ad transferendû dominium, vel usucapiendi conditionem, v. g. locationis possidere, eo ipso non valet præscriptio, quippe quæ non potest sine bona fide consistere: bona fides autem non potest præsumi, quando constat de titulo vitioso, & nullo; & licet magna sit præsumptio pro eo, qui tempore immemoriali possedit, veritatis tamen ea ce-

dere debet. *Mascard. de probat. concl. 1371. n. 38. 63. 64. & seq. Fachin. lib. 8. contr. cap. 33. Palao cit. dis. unic. p. 22. §. 5. num. 11.*

Ceterum in præscriptione servitutum realium regulariter titulus non requiritur; sed scientia, & patientia Domini est loco tituli, modò non desit bona fides. *l. Siquis; 10. & ibi Gl. V. de jure. ff. Si servit. vindic. l. Apparet; 5. §. pen. ff. de iim. actiq. privar.* quando autem requiratur titulus, infra dicitur.

## §. II.

## Quanto tempore præscribantur res mobiles, &amp; immobiles ad versus privatos.

LXXXIX. Quarta conditio ad præscribendum est, ut res possideatur tanto tempore, eoque continuo, quanto ex lege, vel Canonum præscripto requiritur: de quo hoc, & pluribus seqq. §§. agemus.

Et inprimis, quod attinet ad præscriptionem rerum mobilium, & immobilium, Notandum primò, Res, quæ præscribuntur, alia dicuntur mobiles, quæ loco moveri possunt, ut pecunia, vestis, navis, animalia &c. alia immobiles, quæ moveri non possunt, ut prædia, domus, & similia: quæ divisio, licet propriè solum habeat locum in rebus corporalibus, solet tamen extendi etiam ad incorporales, ut jura, servitutes, debita, actiones &c. prout sumitur ex *Clemente 1. §. Cùmque annui. de V. S. ubi dicitur, quod redditus annui inter mobilia censentur à Jure. Molin. tr. 2. de just. dis. 68. n. 1.*

Notandum secundò. Minus tempus ordinariè requiritur ad præscribendum contra presentes, quam contra absentes: presentes autem hic dicuntur, qui in eadem Provincia commorantur, sive res præscribenda sit in eadem Provincia, sive non, Id autem olim procedebat, quando tota Provincia Regni alicuius ab eodem Præside regebatur: hodie verò quia multæ civitates proprium Governatorem habent, qui subest uni Principi, vel Republicæ, aut Senatui; ideo presentes dicuntur, qui in eadem civitate, vel eiusdem territorio, ac sub eodem regimine habitant: absentes verò, qui in territorijs diversarum civitatum, sive sub diverso regimine domicilium habent. *Abb. in cap. de quarta; 4. num. 30. h. t. Molin. cit. tract. 2. dis. 69. num. 2. Less. l. 2. de just. cap. 6. n. 23. Lugo cit. dis. 7. sec. 6. n. 67.* His notatis sit

XC. Assertio 1. Res mobiles præscribuntur triennio, cum titulo, & bonâ fide; ut constat ex *prin. Instit. de usucap. & l. unic. C. de usucap. transf.* Idque extenditur ad res mobiles Ecclesiæ, etiam Romanæ; ut colligitur ex *Auth. Quas actiones. C. de SS. Eccles. & ibi Gl. V. Durantibus.* quæ Authentica recepta est à Jure Canonico; ut patet ex *cap. pen. §. Quas actiones caus. 16. q. 3. Covarr. in Reg. possessor. p. 2. §. 2. n. 5. & Molin. tract. 2. dis. 68. num. 3. Less. cit. cap. 6. n. 22. Leym. l. 3. tract. 1. c. 8. n. 13. & alij.* Neque verò in *cit. Auth.* excipitur à triennali usucapione Ecclesia Romana, sed ab illis actionibus, quæ, si Religioso loco competant, 40. annis præscribuntur, quando verò in *c. Cùm vobis; 14. h. t.* generatim dicitur: contra Ecclesiam Romanam non nisi centum annis præscribi,

id intelligi debet de vera præscriptione rerum immobilium, non verò mobilium; quæ in Jure propriè præscriptio non appellatur, sed usucapio. *Palao cit. punc. 22. §. 11. num. 5.* Exciipiuntur tamen res mobiles furtivæ, quæ non nisi triginta annis præscribuntur. *§. Furtivæ Instit. de usucap. & dictum supra.*

Verumtamen ad præscribendas res mobiles, etiam privatorum, sine titulo, requiritur tempus triginta annorum; ut colligitur ex *l. Sicur; 3. & l. Si quis; 8. C. de præscr. 30. vel 40. ann.* Nam, cum hoc tempore præscribantur res immobiles sine titulo, contra privatos; ut paulò post dicitur, multò magis res mobiles. Et cum Ecclesia etiam Romana non habeat privilegium Juris, ultra privatos, circa res mobiles, ne præscribantur, hæc triginta annis præscribentur sine titulo, etiam contra quamvis Ecclesiam. *Molina cit. dif. 68. n. 4. ex communi.*

**XC I.** Assertio secunda. Ad præscribendas res immobiles privatorum, cum titulo, requiruntur decem anni inter præsentem, viginti inter absentes. *princ. Instit. de usucap. cit. l. unic. C. de usuc. transf. l. Divina; 4.* ubi dicitur, quòd sine justo titulo non procedat diutina, sive longi temporis præscriptio, & *l. fin. C. de præscr. long. tempor. sine titulo* autem præscribuntur res immobiles, non nisi triginta annis. *l. Si quis; 8. §. Quòd, si quis; junct. Glos. V. Tenuerit. C. de præscr. 30. vel 40. ann.* Imò jure antiquo præscriptio in rebus immobilibus, sine titulo, etiam contra Ecclesiam spatio triginta annorum perficiebatur, juxta *cap. Sanctorum; 3. h. t. ubi* statutur: Si Ecclesia possessionem aliquam pacificè, & sincerè (id est, bonâ fide. *Gl. hic V. Eodem. quæ sola hic exigitur, & præsumitur eo ipso, quòd non probetur contrarium. Glos. hic V. Sincerè.)* per triginta annos possedit, perpetuò eam tenere debet: si tamen denunciatio, aut proclamatio Synodalis antecessit, præscriptio per illam interruptitur, quamvis hodie jure novo requirantur quadraginta anni; ut dicitur. Verùm *Gl. hic in casu, & Abb. num. 5.* & alij intelligunt, & explicant hoc cap. non de præscriptione unius Ecclesiæ contra aliam, sed de præscriptione Ecclesiæ contra privatum: nam, cum laici tanto tempore, sine titulo præscribant contra privatos; ergo & Ecclesia præscribet, quæ non debet esse deterioris conditionis, quam laici; prout habetur apud Gratianum post *cap. Placuit; 15. §. Præscriptionum caus. 16. q. 3.*

Illud hic notandum. Si is, contra quem præscribitur, partim fuit præsens, partim absens; tunc servanda est proportio inter præsentiam, & absentiam; ut, si v. g. quis præsens fuit quinque annis, & postea absens quinque annis, præscriptio perficietur spatio quindecim annorum; quia quinque anni, qui adhuc deerant ad complendam præscriptionem contra præsentem, duplicari debent, ratione absentiam. Item, si præsens fuit octo annis, & absens duobus, octo annis præsentiam adjici debent adhuc quatuor duplicandi, ratione absentiam, juxta *Auth. Quòd si quis. C. de præscr. long. tempor. Molin. cit. dif. 69. n. 3.*



## S. III.

Quantum tempus requiratur ad  
præscribendum contra Ec-  
clesias?

**XCII.** Assertio I. Ad præscribendum bonæ immobilia, & jura Ecclesiarum, tamen si secundum aliquos Canones (*cap. 1. & 2. cap. Quicumque; 3. 4. cap. Placuit; 8. caus. 16. q. 3.*) non nisi anni triginta requirantur: nunc tamen exiguntur quadraginta; ut patet ex *cap. de quarta; 4. h. t.* ubi id statuitur de quarta decimarum, id est, quartâ parte, quæ spectat per communi, ex decimis Episcopo præstari debet. *Conquerente; 16. de offic. jud. ordin. & de quarta parte oblationum funeralium, quæ portio Episcopalis Canonica appellatur, & itidem Episcopo debetur. cap. Conquerente; & cap. Requisisti; 15. de restam. quævis ea præstatio pluribus locis per desuetudinem sit abolita. Itaque in *cap. de quarta; 4. h. t.* statuitur, quòd Clericus contra Episcopum quartam decimarum, & quartam oblationum funeralium intra annos 40. præscribere potest: nisi interea Ecclesia Cathedralis Pastore caruerit, qui jura Ecclesiæ ex parte debuisset. Præscriptio verò triginta annorum (quæ olim in rebus immobilibus, ac juri bus tanquam ordinaria longissimi temporis à jure inducta fuit, juxta *l. Sicur; 3. C. de præscr. 30. vel 40. annorum*) Romana Ecclesia non recipitur, si adversus jura Ecclesiarum tendat.*

**XCIII.** Similiter una Ecclesia contra aliam intra 40. annos præscribere potest; ut constat ex *cap. Ad aures; 6. h. t.* Ubi statuitur, quòd una Ecclesia, sive Parochus nomine illius, possit præscribere percipiendi decimas ex agris sitis intra fines alterius Ecclesiæ, seu Parochiæ, si per 40. annos decimas ex illis agris percepit; quia de jure melior est conditio talis possidentis, & quadragenalis præscriptio omnem profus actionem excludit.

**XCIV.** Præterea in *cap. Illud autem; 8. in princ. h. t.* generaliter statuitur: Licet secundum antiquos Canones, annis 30. adversus possessiones, & jura Ecclesiarum præscribi possit: Ecclesia tamen Romana minorem præscriptionem, quam 40. annos, rum adversus Ecclesias non admittit (quamvis adversus privatum Ecclesia bene possit præscribere 30. annis. *Gl. hic V. Adversus Ecclesiam*) idem procedit, si una Ecclesia contra aliam præscribere velit: nam, quòd per 40. annos rem inconcusè (id est, quietè, & sine interruptione. *Gl. hic V. Inconcusè*) possiderit, ostendere debet. Additur in fine huius *cap. si* verò interruptionem possessionis, & præscriptionis factam esse, objiciatur, tunc ab utraque parte testes recipi debent, & si interruptio facta fuerit, & probata, præscriptio non tenebit. Sed de interruptione commodius infra agetur.

**XC V.** Pro explicatione horum *cap.* Notandum primò. Præscriptio quadragenaria, sive à privato procedat, sive ab Ecclesia, extenditur etiam ad Monasteria, Hospitalia, vel alia loca Religiosa, & ad legata, ac donationes ad pias causas; ut constat

ex *Auth. quas actiones C. De SS. Eccles. & Auth. de Ec-*  
*clesiast. tit. 5. Pro temporalibus; collat. 9.* ubi habetur,  
 quod præscriptiones, quæ contra privatum esse solent  
 10. 20. aut 30. annorum, adversus Ecclesiam, aut lo-  
 cum sacrum, & in hereditatibus, ac legatis, quæ ad  
 pias causas relicta sunt, ante annos 40. non perfici-  
 untur. *Gl. in cit. c. De quarta. V. Quadragenaria; h. t.*  
*Abb. ibid. n. 7. Covarr. in reg. possessor p. 2. §. 2. n. 3.*  
*Mol. v. 2. dif. 72. n. 3.* Neque obstat, quod, si pau-  
 peribus in genere, & indeterminatè aliquid legatum  
 sit, cum incerti sint, agere non possint; agere autem  
 non valenti non currit præscriptio. *l. 1. §. Ne autem;*  
*& ibi: DD. C. de annal. excepte.* Nam, licet pau-  
 peres agere non possint ad legata, Episcopus tamen  
 ea petere potest, qui curam gerere debet pauperum.  
*Covarr. c. l. sed de hoc plura infra.*

Notandum secundò. Hæc præscriptio quadra-  
 genaria non extenditur ad bona privata, ac patrimo-  
 nialia Clericorum; quia non ipsi, sed Ecclesiis, & lo-  
 cis piis hoc privilegium concessum est: ac proinde il-  
 lorum bona propria tempore ordinario præscribun-  
 tur, sicut bona laicorum. *Abb. in cit. c. Sanctorum; 3.*  
*n. 6. & in c. Si diligenti; 17. n. 36. & 37. h. t. Mol. c.*  
*l. n. 4.*

Notandum tertio. Si Jus commune Canoni-  
 cum resistat præscribenti; ut in casu *cit. c. Ad aures;*  
 ubi duo Parochi litigabant de decimis, quas Parochus  
 extraneus percipiebat ex agris in aliena Parochia sitis,  
 quæ jure communi ad propriam Parochiam loci per-  
 tinent; tum præter tempus 40. annorum, & bonam  
 fidem, titulus coloratus est necessarius, vel sine titu-  
 lo, tempus immemorabile, juxta *c. 1. h. t. in 6.* nec re-  
 fert, quod in *cit. c. Ad aures;* nulla fiat mentio de ti-  
 tulo, sicut neque de bona fide; quia non de his, sed  
 de solo tempore erat quæstio: supponitur tamen, tam  
 titulum, quam bonam fidem adesse debere, quando  
 secundum regulas juris id est necessarium: agitur  
 enim illic de præscriptione quadragenaria, quæ est  
 legitima, & secundum jus, in quo nihil deficit ex ne-  
 cessariis. *Barb. in Collect. in cit. c. Ad aures; n. 4.*

XCVI. Notandum quarto. Et si aliàs regula-  
 riter privilegiatus non utitur privilegio contra pari-  
 ter privilegiatum; adeoque privilegium, quod Can-  
 ones concesserunt Ecclesiis, ut contra eas præscribi  
 non possit minore tempore, quam 40. annorum, non  
 videatur posse objici contra Ecclesiam præscribentem,  
 quæ simile privilegium habet: tamen ea regu-  
 la non habet locum, si unus tantum sit privilegiatus  
 in genere; alter verò specialiter in causa, de qua agi-  
 tur: tunc enim speciale privilegium præfertur gene-  
 rali; ut in proposito casu, Ecclesia, quæ præscribit,  
 generaliter privilegiata est, non autem in causa præ-  
 scriptionis, ut minore tempore, quam 40. annis,  
 contra ipsam præscribi non possit. Et sic propriè lo-  
 quendo, & in specie, non concurrunt simul duo pri-  
 vilegiati; quia Ecclesia præscribens nullum habet  
 speciale privilegium in causa præscriptionis, sed sola  
 Ecclesia, contra quam præscribitur; adeoque meri-  
 to hæc privilegio suo uti potest contra Ecclesiam præ-  
 scribentem. *Abb. in cit. c. Ad aures; n. 3.* ubi ait, quod

Ecclesia non sit privilegiata, quoad præscriptionem  
 activam, sed passivam, & sic Ecclesia præscribens non  
 sit privilegiata. *Barb. in Collect. ibid. n. 3.* de quo plura  
 dicta sunt supra *lib. 1. tit. 41. n. 39.*

Notandum quinto. Si quis præscribere incepit  
 rem immobilem privati, eamque bonâ fide, cum ti-  
 tulo, inter præsentem possedit, v. g. per quinquen-  
 nium, & postea res illa ad Ecclesiam aliquam deve-  
 niat; tunc, quia solum deerat dimidium temporis, ad  
 præscribendum contra privatum, sufficit, si præscri-  
 bens deinceps possideat rem illam 20. annis, ut præ-  
 scribat illam adversus eam Ecclesiam. *Abb. in cit. c.*  
*De quarta; n. 20. h. t. Silvest. V. Præscriptio; 1. q. 7.*  
*dicto 6. Molin. cit. dif. 72. n. 5.* Ratio est; quia pro  
 tempore præterito utitur Ecclesia jure privati; pro  
 tempore verò sequente utitur jure, ac privilegio suo:  
 cum ergo contra privatum præsentem dimidium tem-  
 pus præscriptionis sit quinquennium, satis est, si con-  
 tra Ecclesiam succedentem laico compleatur alterum  
 dimidium: habito tamen respectu ad privilegium  
 suum: & sic ad complendam præscriptionem requi-  
 runtur adhuc anni 20. qui sunt dimidium temporis  
 requisiti ad præscriptionem contra Ecclesiam.

Notandum sexto. Si res, vel jus aliquod com-  
 munitè pertineat ad laicum, & ad Ecclesiam; tunc,  
 si res illa, vel jus sit divisibile, brevior tempore  
 præscribitur contra laicum, quam contra Ecclesiam.  
*Arg. l. unie. C. Si in communi, eademque causa. C. Si ve-*  
*ro res, sive jus sit indivisibile; tunc laicus, sive pri-*  
*vatus civis, propter communionem cum Ecclesia,*  
*eodem 40. annorum tempore gaudebit, ita, ut non*  
*minore tempore contra ipsum præscribatur. Abb. in*  
*cit. c. De quarta; n. 19. h. t. Silvest. c. l. dicto 5. arg. l.*  
*Si communem; 10. ff. Quemadm. servit. amitt. ubi dicitur:*  
*Si communem fundum, ego, & pupillus habe-*  
*remus, licet uterque non uteretur: tamen propter*  
*pupillum (contra quem in pupillari ætate non proce-*  
*dit præscriptio) & ego viam retineo: ubi Gl. margin.*  
*ait, quod privilegium unius consortis in rebus indi-*  
*visibilibus prodest alii consorti, etiam non privilegia-*  
*to.*

XCVII. Ceterum à doctrina generali supra  
 tradita, quod contra Ecclesiam non minor, quam qua-  
 dragenaria præscriptio procedat, excipitur casus spe-  
 cialis, quo jura alicuius Ecclesiæ ab Hæreticis, vel Schis-  
 maticis recuperata, seu loci ad fidem Catholicam per  
 alium Episcopum converti (spatio triennii præscribun-  
 tur; prout deciditur in *c. Placuit; 1. h. t.* Nam, si  
 Prælati, vel Episcopus quispiam locum ali-  
 quem ad fidem Catholicam convertit, & per trien-  
 nium tenuit, & Episcopus, ad quem locus ille de  
 jure pertinet, sive intra cuius Diocesis situs est, in-  
 tra triennium illum repetere intermitat, postea  
 repetere ulterius non potest: verum, si Ecclesia Ca-  
 thedralis interea vacaverit, non præjudicatur ei,  
 quò minus constituto Episcopo, locus ille intra tri-  
 ennium repeti possit. Quod si verò Episcopus  
 loci illius ab hæresi ad fidem Catholicam redierit;  
 à tempore reditus per triennium potestatem habet  
 repetendi locum illum, qui ad Ecclesiam Catho-  
 dralem pertinet.

XCVIII. Notandum primò. In favorem Fi-  
 dei Catholicæ, & ad excitandam Episcoporum dili-  
 gentiam, & vigilantiam in reducendis subditis suis



ad fidem Catholicam, specialiter statutum fuit in Concilio Africano (quod refertur in *c. Placuit*; 15. *caus.* 16. q. 3. & in *cit. c. 1. h. t.*) ut, si Episcopus, ad quem locus aliquis de jure pertinet, in quo plebs in hæresin, vel Schisma lapsa est, postquam à Coepiscopis admonitus est, ut plebem suam convertat ad Fidem Catholicam, intra sex menses, id facere negligat, post quos proprius Episcopus loci in culpabili mora, & negligentia constituitur; tum alius vicinus Episcopus, eundem locum, seu Ecclesiam recipere, & ad Fidem Catholicam reducere possit, intra triennium computandum post sex menses à tempore admonitionis factæ: & sic hoc c. per illud suppleri debet; ut notat *Gl. hic V. Per ipsum triennium. Covarr. in reg. possess. for p. 2. §. 11. n. 8.*

Excipi debet primò. Si Ecclesia vacat; quia proprio, & immediato Prælato, seu Episcopo caret, *cit. c. 1. h. t.* adeoque non habet legitimum defensorum: item, si Episcopus impeditus sit agere, quamvis non sine culpa sua, v. g. in carcere ob crimen inclusus, vel excommunicatus; tunc enim non currit contra Ecclesiam præscriptio trium annorum, & sex mensium; ut tradit *Gl. in c. Prima; 13. V. Postliminio; cit. caus. 16. q. 3. Abb. hic n. 1. 2. & 7.* paria enim sunt, nullum habere Prælatum, vel inutilem, *c. 2. de transl. Episc.*

Excipitur secundò. Si Episcopus, in cuius Diocesi locus ille situs est, ideo illum ad Fidem Catholicam, intra sex menses, ac triennium, reducere intermitat; quia expectat tempus, quo sine tumultu securius id præstare potest; tum enim alius Episcopus vicinus in reducenda plebe ad Fidem eum prævenire non debet, cum justam causam differendi habeat, ne præcipitando maius damnum hæreticis inferat; ut habetur in *cit. c. Placuit; in subjunct. textu Græco caus. 16. q. 3.*

Notandum secundò. Est hic quoque casus specialis, in quo Jure Canonico, etiam cum mala fide, procedit præscriptio, idque in favorem Fidei Catholicæ; ut tradit *Abb. hic n. 1. not. 2.* & alii DD. communiter. Verùm rectius dicitur, quòd in casu huius c. Episcopus convertens plebem alteri Episcopo subiectam non habuerit verè malam fidem, quamvis sciat plebem illam ad alium Episcopum pertinere; quia ex legis, sive Canonis auctoritate in possessione per triennium illius plebis fuit, & sic sine peccato injustæ detentionis justè, & legitime locum illum, & jura Episcopalia possidebat: & consequenter non malæ, sed bonæ fidei possessor fuit. *Covarr. cit. p. 2. §. 11. n. 3.* ubi addit: quòd Episcopus negligens reducere plebem suam ad Fidem Catholicam, videtur eam deserere, & habere pro derelicta; ideoque mirum non est, si auctoritate Canonum cura Episcopalis alteri acquiratur.

**XCIX.** Assertio secunda. Ad præscribenda bona immobilia, ac jura pertinentia ad Ecclesiam Romanam requiritur tempus centum annorum, pro-  
» ut sumitur ex *c. Ad audientiam; 13. h. t.* Nam  
» ortà controversiã inter virum Nobilem Mantafel-  
» lonem, & Castellatum, sive dominum castri Pa-  
» latioli, Nobilis proponebat sibi ex illo castro sin-  
» gulis annis 40. solidos denarium Papiensium,  
» loco, ac nomine Ecclesiæ Romanæ pendere.  
» Insuper etiam procuraciones, seu victualia, jus in-  
» dicendi bannum, vel edictum; item placita, sive

jurisdictionem forensẽ caularum, & omnia jura, quæ in eo loco Ecclesiæ Romana habebat, sibi competere. Verùm Castellanus hæc omnia nullã ratione Nobili illi esse debita, assererat: qui ad probandam intentionem suam produxit privilegium Alexandri III. & librum censualem Romanæ Ecclesiæ, & insuper testes, qui dicebant, se vidisse dictum censum solutum fuisse Nunciis Sedis Apostolicæ ab annis plus quàm 50. Ad hæc respondit Castellanus, quòd Nobilis privilegio suo non fuerit usus annis 30. & liber censuali suspectus sit, quia non erat aservatus in Camera Apostolica, & quòd seriniarius, seu tabellio aliter scripserit dictum testium, quàm illi deposuerint. His delatis ad Papam Innocentium III. is respondit, majorem apud se habere auctoritatem privilegii, quàm depositionem testium: librum verò censualem non esse habendum pro suspecto, licet non in Apostolica, sed in Cardinalis S. Hadriani camera sit inventus, qui illum ex Camera S. Petri accepit. Nòque verisimile esse, seriniarium, quippe qui juravit, se officium suum fideliter executurum, aliud scripsisse, quàm testes deposuerunt. Denique illud maxime considerandum est, quòd negotium hoc principaliter pertineat ad Ecclesiam Romanam, contra quam non nisi centenaria præscriptio currit. Quare Pontifex Castellatum ad solvendum censum, & alia, quæ petita erant, condemnavit, injungens eidem, ut Nobili non tanquam sibi, sive intuitu personæ suæ, sed Romanæ Ecclesiæ, cuius nomine, & auctoritate Nobilis ille percipere debet, cum existat vasallus eiusdem, ea ab eaque cunctatione persolvat.

**C.** Notandum primò. Hoc privilegium centenariæ præscriptionis etiam alteri indirectè, & in consequentiam prodesse potest, quatenus jus habet à Romana Ecclesia: ut patet ex hoc c. in quo, licet Nobilis ille Ecclesiæ Romanæ vasallus privilegio, sive jure concessò per 30. annos usus non fuerit, ac proinde, quatenus ex parte ipsius erat, præscriptum fuerit; quia tamen per hoc præjudicabatur Ecclesiæ Romanæ, cuius nomine, & auctoritate Nobilis ille censum annuũ, & alia debita percipere debebat: ideo eidem causa adjudicata, & adversarius ad solutionem censũs, & alia, quæ petita erant, præstanda, condemnatus fuit. Idque etiam sumitur ex *c. Diligenter; 4. ibi: Cum adversus Ecclesiæ Romanæ possessiones, & jura non nisi centenaria currat præscriptio, De confirm. aut. Innoc. hic in fine. & ibid. Abb. n. 12.* Quare, licet, si controversia oriatur inter duas Ecclesias de jure subjectionis, contra Ecclesiam exemptam præscribi possit spatio 40. annorum: non tamen contra Papam, cui Ecclesia illa subiecta fuit: nam huius jus illud, & integrum remanet ita, ut, si postea appareat, Ecclesiam ipsi immediatè subiectam fuisse, ante decursum centum annorum, ipsam sibi vendicare possit, juxta *c. 2. de capell. Monach. junct. Gl. V. Generetur.*

Notandum secundò. Quòd dictum est, contra Ecclesiam Romanam non currere præscriptionem, nisi centenariam, id intelligi debet de illa, quæ directè, & principaliter ei in suis bonis, aut juribus præjudicat, ut colligitur ex *cit. c. Ad audientiam;* non autem secundariò tantum, & indirectè. *Gl. ibid. V. Principaliter; & Abb. n. 12.* Quare contra usufructu-

Quartum v. g. fundi quoad proprietatem pertinentis ad Ecclesiam Romanam, præscribi potest tempore ordinario; quia, cum usufructuarius vendere possit usufructum, vel donare, etiam invito domino directo, seu proprietatis, per præscriptionem non præjudicatur Ecclesie Romanæ in dominio directo, quod illæsam manet. Idemque dicendum est de vasallo; vel emphyteuta Ecclesie Romanæ, saltem, si, ipsâ sciente, contra ipsam præscribatur dominium utile: sufficit enim præscriptio 30. annorum; quia tunc in ea tendit, non directè, & immediatè contra Ecclesiam Romanam, sed contra eius vasallum, vel emphyteutam, & cum ipsâ sciente, facta sit præscriptio, recipiendo per 30. annos obsequia, & alia jura domini directi à præscribente, nulla ei irrogatur injuria, nec potest allegare ignorantiam. Aliud est, si quis præscribat adversus vasallum, vel emphyteutam Ecclesie Romanæ, ipso Papâ ignorante; tunc enim non potest præscribi ante centum annos; quia præscribitur contra jus directum ipsius Ecclesie Romanæ, quæ cogitur, vi præscriptionis, recipere novum vasallum, vel emphyteutam sibi fortè minus utilem, quàm antiquum. *Abb. in cit. c. Ad audientiam; n. 13. & 14. h. 1. Covarr. cit. p. 2. §. 2. n. 6. Palao cit. punc. 22. §. 12. n. 2.*

CI. Ceterum quod sola centenaria præscriptio currat contra Romanam Ecclesiam, habetur etiam statutum in *c. Cum vobis; 14. h. 1.* ubi dicitur: Tam Civili, sive Casareo, quàm Canonico jure decretum est; ut contra Ecclesiam Romanam, quæ gaudet speciali privilegio, non nisi centum annorum præscriptio locum habeat; ita tamen, ut tempus intercedentis schismatis computari non debeat, sed inde deduci, cum schisma, secundum juris ordinem, præscriptionis cursum impediatur.

CII. Notandum hic primò. Præscriptio non minor, quàm centenaria adversus Ecclesiam Romanam decreta est, utroque jure Civili, in *Auth. quas actiones in fine. C. De SS. Eccles. & in Auth. Ut Ecclesia Romana Collat. 2. Nov. 9.* Jure Canonico verò in *c. fin. caus. 16. q. 3.* ubi dicitur, quod Romanae leges rerum Romanæ Ecclesie præscriptionem non nisi per centum annos admittant. Verum in *cir. Constitutione Novella Justiniani* conceditur præscriptio centenaria, non solum Ecclesie Romanæ, sed etiam aliis inferioribus Ecclesiis, quod tamen postea quoad alias Ecclesias revocatum fuit ab eodem Justiniano in *Auth. hæc constitutio innovat, coll. 8. Nov. 111.* non autem quoad Ecclesiam Romanam, de qua nulla ibi specifica fit mentio. *Gl. in cit. constit. Ut Ecclesia Romana V. annorum. Covarr. cit. p. 2. §. 2. n. 6. in fine;* imò nec revocari potuit, de quo plura videri possunt apud *Barb. in Collect. hic n. 2.*

Notandum secundò. Hæc præscriptio centenaria contra Ecclesiam Romanam procedit solum circa bona eius immobilia, & jura particularia: nam ea, quæ pertinent ad universalem, & supremam jurisdictionem Papæ in omnes fideles, & plenitudinem potestatis Papalis, nullo unquam tempore præscribi possunt, cum ipsi competant jure Divino, contra quod non procedit ulla præscriptio. *Abb. in cit. c. Cum vobis; n. 1. in fine, & n. 12. Mol. tr. 2. De justit. dis. 74. n. 1.* Imò neque ea, quæ Papæ reservata sunt, non in signum supremæ potestatis, sed specialis prerogativæ, ullo unquam tempore præscribi possunt, secun-

dum *Gl. in c. unic. P. Non obstante; de Cleric. egrot. in 6.* quod certum esse videtur, si talis res sit, quam Papa inferiori nunquam concedere solet (cuiusmodi est, Episcopos deponere, vel transferte. *c. 2. de transl. Episc. quæstiones ad Fidem pertinentes definire. c. Majores; 3. de baptis. &c.*) cum enim Sedi Apostolicæ talia in signum specialis prerogativæ competant, non possunt alteri competere, nisi ex speciali concessione Papæ: consequenter non possunt ab inferiore præscribi, nisi, cum titulo colorato, seu ex præsumptione concessionis factæ, quæ in hoc casu cessat, cum agatur de re, quam Papa nunquam concedere solet: si verò tale quidpiam sit, quod à Papa aliis quandoque concedi solet; tunc poterit præscribi per decursum temporis immemorialis; cum usus, seu consuetudo temporis immemorialis habeat vim concessionis, saltem si adsit scientia, & patientia Papæ: ea enim in præscriptione jurium incorporalium necessaria est. *l. 2. C. De servitut. Abb. in cit. c. Cum vobis; n. 3. & 4.* quamquam etiam probabiliter dici possit, in hoc casu non requiri scientiam, & patientiam Papæ, cum decursus temporis immemorialis, & possessionis, cum bona fide, habeat vim privilegii, seu constituti. *l. Hoc jure; 3. §. Aquæ ductus; ff. De aqua quotid. nam etiam Regalia, seu quæ propria sunt supremi Principis, si aliis ab ipso concedi soleant, tempore immemoriali præscribuntur, juxta *c. Super; 26. de V. S.* ubi solum requiritur tempus, cuius initium non extat memoria, nec ulla fit mentio de scientia Principis. *Felin. in cit. c. Cum vobis; n. 2. h. 1.**

Neque obstat, quod in *cir. c. unic. De Cleric. egrot. in 6.* dicatur, non obstante contraria consuetudine, causas majores referendas esse ad Sedem Apostolicam: ex quo inferit *Gl. ibid. V. Non obstante;* quod contra Romanam Ecclesiam non currit præscriptio in his, quæ sibi in signum specialis privilegii reservavit. Nam, quando in Canone prohibetur introductio consuetudinis, eâ prohibitionem non continetur immemorialis, si sit capacitas in introducentibus; quia possessio immemorialis affert præsumptionem tituli, seu concessionis expressæ, vel tacitæ, si possidens sit capax. *Laym. l. 3. tract. 1. c. 9. n. 5, & de jurisdict. ordin. concl. 54.*

Notandum tertio. Si post inchoatam præscriptionem, superveniat impedimentum: tum eo durante, non currit præscriptio, sed interim suspensa est; ideoque tempus illud computari non debet. *Abb. hic num. 1. not. ult.* ut in casu huius c. tempore schismatis, quando dubicatur, quis sit legitimus Pontifex, non currit præscriptio centenaria contra Ecclesiam Romanam: sed illud deducendum est; quia, tunc non habet defensorem, qui eius possessiones, ac jura tueatur; ut constat ex hoc c.

Prædictis addendum primò, quod Ecclesia Romana, ipsæque Papa præscribit contra Ecclesiam inferiorem, vel alium privatum eodem tempore, quo quisvis alius privatus adversus alium privatum; ut tradit *Abb. in cit. c. Cum vobis; n. 12. h. 1. Molin. cit. dis. 72. n. 2.*

Addendum secundò. Adversus Monasteria, & Religiosos Ordinis S. Benedicti, eorumque bona immobilia non potest præscribi, nisi annis LX. ut constat ex privilegio illi Ordini concessio ab Eugenio IV. quod refert *Molin. cit. dis. 72. n. 4.*

## S. III.

## De tempore, quo præscribi potest adversus Principem, vel eius fiscum?

Præmittendum, quinque esse bonorum species; ut notat Covarr. in Reg. Possessor; p. 2. §. 2. num. 7. quæ Principi competunt. Primum, in recognitionem supremæ eius potestatis; & hæc nullo tempore præscribi possunt; ut dictum supra n. 20. Secundò, quæ ipsi ratione dignitatis, & specialis prærogativæ reservantur. Tertio, quæ sunt annexa Coronæ Regni. Quarto, quæ pertinent ad fiscum Principis. Quintò, quæ ipsi, ut privata personæ competunt.

CIII. Assertio prima. Bona, seu jura, quæ Principi, ratione dignitatis suæ reservantur, alia sunt, quæ Princeps nunquam communicare solet, aut concedere ulli subdito; ut leges condere totum Regnum obligantes, monetam nomine proprio condere, ad ipsum ultimam appellare, potestas procedendi in causa, appellatione remotâ, revocare sententiam, quæ tranivit in rem judicatam; & hæc nunquam possunt præscribi. Molin. tr. 2. de just. dis. 75. n. 15. Palao dis. anic. de justit. in genere pun. 22. §. 14. n. 7. quia non est verisimile, Principem velle præscriptione acquiri, quæ ille per nullum privilegium unquam concedit. Alia verò sunt, quæ ad jurisdictionem Principis pertinent, & ab eo quandoque, etsi rarò, subditis concedi solent: cuiusmodi sunt vectigalia, & tributa imponere, legitimare illegitimos, creare tabelliones, veniam ætatis minoribus concedere, infamem restituere pristinae famæ, remittere pœnam delicti, si pars adversa non sit læsa, punire malefactores ultimo supplicio, & universim ea, quæ ad merum, & mixtum imperium in quocunque gradu spectant, possunt præscribi: siquidem à Principe subditis aliquando conceduntur; ut deciditur, in c. Super quibusdam; 26. §. Præterea; de V. S. Covarr. cit. p. 2. §. 2. n. 8. & §. 3. in princ. Tempus autem requisitum ad præscribendum est, vel tempus immemoriale, sine titulo; vel centum annorum, cum titulo; ut docet Molin. cit. dis. 75. n. 16. arg. l. ult. C. De SS. Eccles. ubi adversus civitates non datur præscriptio, nisi centenaria, cum titulo, & immemorialis sine titulo; vel, quod probabilius est, sufficit tempus 40. annorum cum titulo, ut docet Covarr. cit. §. 3. n. 3. Less. lib. 2. c. 6. dub. 12. n. 41. Palao cit. §. 14. n. 7. Neque obstat, quòd in præscriptione contra civitates centum anni requirantur cum titulo; tum quia, cum sit decisio specialis, non est extendenda ad ea, quæ Principi competunt: tum præcipuè, quia illud privilegium non est concessum civitatibus pro omnibus bonis, sed solum pro bonis, quæ ex hereditate, legato, donato, fideicommissio, vel empto obvenierunt, in ceteris sufficiunt 40. cum titulo. Less. c. l. Sine titulo verò requiritur tempus immemoriale; quia Jus resistit his præscriptionibus; & præsumit, malâ fide inductas esse, cum jurisdictio tota, non ad subditos, sed ad Principem pertineat; ideoque defectus tituli suppleri debet per præscriptionem immemoriam, quæ habet vim tituli; neque tunc necessarium est probare scientiam,

& patientiam eius, adversus quem præscribitur, quia in præscriptione immemoriali præsumitur titulus, & in principio intervenisse ea, quæ necessaria sunt ad possessionem. Mol. c. l. Similiter exemptio à tributis, aliisque exactionibus, quæ solvuntur à subditis in subsidium Reipubl. ob bellum imminens, vel ob aliam necessitatem Principis sublevandam, præscribitur 40. annis cum titulo, vel tempore immemoriali, sine titulo. Covarr. cit. §. 2. n. 8. Less. c. l. Palao c. l. n. 5. Alii verò, ut Molin. cit. dis. 75. n. 19. & 20. & Lugo cit. dis. 7. sec. 6. n. 89. aiunt, tributa, & vectigalia huiusmodi non præscribi adversus Principem, ita, ut subditus ea imponere, vel exigere possit, nisi spatio 100. annorum cum titulo, vel sine illo, tempore immemoriali; quia non minus præsumitur, illa Principi deberi, ad eumque solum pertinere, quàm jurisdictionem civilem, & criminalem.

CIV. Assertio secunda. Bona, quæ ad Regni Coronam spectant, qualia sunt falcus ferarum, prætor, & pascua, prædia urbana, & rustica, castra, Urbes, & adversus Principem præscribi possunt; quia ea ab illis etiam privatis quandoque concedi solent: requiruntur autem ad ea præscribenda tempus centum annorum, ut docet Covarr. cit. §. 2. n. 8. & 9. Molin. tr. 2. de just. n. 4. Less. cit. n. 41. Nam cum, si quid reliquum sit civitatibus per hereditatem, fideicommissum, legatum, vel per donationem, aut emptionem eis sit acquisitum, non possit præscribi minore tempore, quam 100. annis, juxta l. ult. C. De SS. Eccles. sequitur, quòd bona Coronæ, cum sint bona ipsius Regni, debent habere idem privilegium, sicutem, si simili titulo ad Regni coronam pervenerint: secus, si ex alio capite ei competant. Palao c. l. n. 8. Neque verò prædicta lex ult. restricta est per Auth. Quas actiones. C. ad præscriptionem 40. annorum cum titulo, quoad civitates, sed solum quoad præscriptionem adversus Ecclesias, Monasteria, & alia loca pia.

CV. Assertio tertia. Bona tum mobilia, tum immobilia fisci, id est, quæ fisco jam sunt acquisita, & incorporata, non minore tempore, quam 40. annorum præscribuntur, juxta l. Omnes; 4. C. De præscript. 30. vel 40. ann. Covarr. in reg. possessor p. 2. §. 4. n. 7. Molin. tr. 2. de just. dis. 73. n. 2. Si verò bona fisco nondum tradita, & incorporata sint, sed tamen fisco obbita, non ex delicto, sed, quia sunt bona vacantia, ob mortem alicuius decedentis sine legitimo herede, tunc, vel non sunt denunciata fisco; & præscribuntur tempore ordinario, sicut alia bona privatorum, cum bona fide, & titulo, mobilia triennio, immobilia 10. vel 20. annis, sine titulo annis 30. l. Quamvis; 11. junct. Gl. V. Diurina; ff. De usucap. vel sunt denunciata fisco, non tamen ab eo occupata; & hæc præscribuntur adversus fiscum quadriennio cum titulo, vel etiam sine illo, sed cum bona fide, ut constat ex l. C. De quadrienn. præscript. & l. Intra; 10. ff. De decur. & temp. præscript. Idemque est de aliis bonis ex quocunque alia causa fisco debitis, & nondum incorporatis; ut constat ex l. In omnibus; 13. ff. eodem; nisi pro re aliqua brevius tempus ad præscribendum adversus fiscum in jure exigatur, ut in l. 3. ff. De usucap. rend. rei & absent. Molin. cit. dis. 73. n. 8. si denunciata bona ob crimen fisco seculari commissa, & addita sint, sed nondum acquisita, videlicet ob vectigalia non solutum; tunc præscribitur à Reo, & eius heredes advenit

adversus fiscum quinquennio, ita, ut post hoc elapsum, extinguatur omnis actio fisci. l. 2. C. de vestigial. & commiss. Idemque, spectato Jure Civili, est, si ob crimen hæresis, vel Apostasie bona confiscata sint, nam quinquennio, post mortem hæretici, vel Apostatae, tum actio competens contra delinquentem, tum bona illius adversus fiscum seculari præscribuntur. l. 2. C. de Apostat. idque etiam procedere in crimine læsæ Majestatis, & quovis alio, ob quod bona ipso Jure confiscantur, tradit Covarr. c. l. n. 7. Molina cit. dis. 73. n. 5.

**CVI.** Porro, si agatur de bonis ob crimen confiscatis, spectato Jure Canonico, bona huiusmodi adversus Ecclesiam Romanam non nisi centum annis, adversus inferiorem verò Ecclesiam annis quadraginta præscribuntur; ut constat ex cap. Si qui; 2. in princ. h. t. in 6. ubi statuitur: Siquis propter delictum commissum bonis, quæ ab Ecclesia Romana, vel ab alijs inferioribus Ecclesijs tenet (vel accepit in feudum, vel emphyteusim, vel alio titulo, Glos. hic V. Tenent) ipso Jure, vel per sententiam sit privatus (adeoque ea ad Ecclesiam devolvantur) hoc casu, non procedit præscriptio contra Ecclesiam Romanam, nisi centenaria, aut quadraginta annorum contra alias Ecclesias, ita, ut ea legitimè sit completa: quamvis leges civiles circa hoc aliter statuissent videantur.

**CVII.** Ubi notandum primò. Duobus modis contingere posse, ut quis propter crimen privetur bonis, v. g. feudalibus, sive ipso Jure, sive per sententiam Judicis, ita, ut locum habeat dispositio huius cap. Primò. Siquis crimen committat, propter quod bona eius confiscantur, & applicanda sunt fisco seculari; nam hoc casu bona feudalialia, si sint feudum antiquum ex pacto, & providentiâ, ita, ut ad extraneos heredes transire non possint; quia de illis vasallus liberè disponere non potest, sine licentia domini directi, & consensu agnatorum; non confiscantur, sed redire debent ad dominum feudi, vel ad proximos agnatos; ut docet Bart. in l. finita; 15. §. Si vestigialibus. n. 3. ff. de damno infect. Clarus lib. 4. sent. §. Feudum. q. 84. Cùm iniquum sit, quòd vasallus præjudicare possit delinquendo, domino feudi, aut agnatis, quibus non potest alienando. Idemque docet Clarus de emphyteusi cit. lib. 4. §. Emphyteusis. q. 29. quòd videlicet emphyteusis Ecclesiastica, confiscatis bonis, non transeat ad fiscum, idque favore Ecclesiæ, cuius conditio efficeretur longè deterior, cùm fiscus sit potentior, quàm privatus, & multis privilegijs gaudeat: imò neque emphyteusis concessa à privato transit ad fiscum; si non transeat ad extraneos heredes, cùm fiscus sit loco extranei heredis. Quare idem Bart. in l. Imperator; 12. ff. de fideicommiss. libert. generalem regulam tradit: Si res alienari prohibita sit, non potest devenire ad fiscum per bonorum publicationem. Hoc igitur casu, si fiscus secularis bona feudalialia ob crimen commissâ, & fisco delata, quæ ad Ecclesiam redire debent, occupet, eaque tanquam propria bonâ fide possideat, poterit illa præscribere annis centum contra Ecclesiam Romanam, vel quadraginta contra Ecclesiam inferiorem, juxta cit. cap. 2. hoc tit. in 6.

Secundò. Potest id accidere, si vasallus Ecclesiæ, ob delictum commissum, feudo privandus sit, illudque ad Ecclesiam redire debeat; à qua concessum

Tomus I I.

est; sive quia ille nullos habet agnatos; sive quia feudum, quo ob delictum privatus est, fuit feudum novum, de quo vasallus tanquam primus acquirens, poterat, cum consensu domini, liberè disponere, illudque alienare, etiam in extraneum, cum præiudicio filiorum, & agnatorum; quia ad hoc proximi agnati pervenire non poterant, nisi ex persona acquirentis, qui tamen eo ob delictum privatus est, sicut probabiliter docet Clarus cit. §. Feudum. q. 84. vel denique, si crimen felonie contra ipsum dominum sit commissum, ut in proposito casu contra Ecclesiam, ita, ut feudum, non ad filios, vel agnatos, sed ad dominum directum redire debeat; prout habetur in lib. 2. feud. tit. 24. §. Denique. & ex communi docet Laym. lib. 3. tract. 4. cap. 24. num. 12. §. Porro. Et tunc etiam locum habet dispositio cit. cap. 2. h. t. in 6. & præscriptio centenaria contra Romanam Ecclesiam, vel quadragenaria contra alias Ecclesias. Contrarium tamen statutum videtur Jure Cæsareo in Auth. de Sanctissimis Episcopis. §. Siquis rapuerit. cap. 43. Collat. 9. ubi dicitur: quòd bona corruptentis, rapientis, vel sollicitantis Monialem vendicari debeant Monasterio, sed si, postquam crimen notum fuerit, neglexerit Ecclesia per annum petere, tunc applicanda sint fisco. Gl. in cit. cap. 2. V. Videantur. h. t. in 6. & hoc dubium hic resolutum fuit: notat autem Glos. in cit. Auth. §. Siquis rapuerit. V. Assignare; huiusmodi casus esse speciales.

Notandum secundò. Quòd ad fiscum Ecclesiæ attinet, bona etiam nondum incorporata fisco, non nisi centum annis præscribuntur adversus fiscum Ecclesiæ Romanæ, & quadraginta annis adversus fiscum aliarum Ecclesiarum; ut ex cit. cap. 2. h. t. in 6. docet Abb. in cap. Cum vobis; 14. num. 9. h. t. Verùm Molina cit. dis. 73. num. ult. putat, in dicto cap. 2. solum agi de bonis, quæ erant Ecclesiæ, & propter crimen possessoris ad Ecclesiam redeunt, ac iterum devolvuntur.

#### S. IV.

### De tempore, quo præscribi possunt bona feudalialia, & emphyteutica?

**CVIII.** Generatim loquendo ad inducendum, vel constituendum feudum, viâ præscriptionis, communiter requiritur tempus 40. annorum cum titulo, vel immemorabile sine titulo; ut tradit Palao cit. pun. 22. §. 15. n. 6. ubi ait, idem dicendum de Maioratu, & fideicommissis: quamvis Molina cit. dis. 75. num. 9. putet, sufficere tempus decem annorum inter præsentem, & 20. inter absentes, & 30. sine titulo.

**CIX.** Quæritur nunc primò. Quanto tempore extraneus præscribere possit jus feudi contra vasallum, vel etiam ipsum dominum feudi, & ipse etiam vasallus contra eundem? Resp. primò. Extraneus contra vasallum jus feudi, seu dominium utile præscribere potest spatio 30. annorum, sive dominus feudi sciat, sive ignoret, sive consenset, sive non. Ita Gl. in cap. Adaudiendam; 13. V. Principaliter. h. t. & ibid. Abb. n. 14. & 16. Felin. n. 18. Clar. §. Feudum. q. 45. n. 3. Rosenthal tr. de feudis.

feudis, c. 9. concl. 97. n. 8. & sumitur ex lib 2. feud. tit. 26. Si de feudo defunc. contem. sit. §. Siquis per 30. annos; V. g. Titio, cuiusque heredibus à Principe castrum, cum suis Juribus, in feudum datum est, sed Caius bona fide per tempus longissimum 30. aut 40. annorum pro vasallo se gerit, præstans ea, quæ Jure vasalli debet, aut potest, is præscribit Jus feudi contra Titium, eumque excludit, etiam ignorante domino feudi, & sine consensu eiusdem; quia hoc casu dominus rem feudalem, & servitia integra retinet, directo dominio salvo penes illum manente: neque exiguum illud incommodum, quod dominus feudi invitus alium vasallum habere cogatur, tanti est faciendum, ut propterea impediatur præscriptio 30. annorum, sed potius sibi imputet dominus, quod non melius vigilaverit super rebus suis. *Rosenthal c. l. n. 39.*

CX. Resp. Secundò. Extraneus jus feudi, seu utile dominium præscribere potest triginta, vel quadraginta annis contra dominum, si hic sciat, alienationem, seu translationem feudi in extraneum esse factam: at, si ignoret, non potest contra dominum præscribi, nisi tempore immemoriali, vel centum annorum. Priorem partem tradit *Abb. in cit. cap. Ad audientiam; n. 19. & ibid. Alexand. de Nevo n. 49. & Rosenthal cit. concl. 97. in Glos. lit. L. & alij communiter, & sumitur ex cit. cap. Siquis per 30. annos, si de feudo defuncti contem. &c.* Posterior pars traditur à plerisque; prout videre est apud *Clarum §. Feudum. q. 45. n. 2. & Rosenthal cit. concl. q. 7. n. 37. & in Gl. n. 9.* idque sumitur ex *cap. Imperialem; post princ. ibi: Nullius temporis præscriptione impediende, de prohib. feudi alienat. per Frider. lib. 2. feud. tit. 55. & eod. lib. tit. 40. de Capitulis Corradi cap. unic. §. Præterea, ubi dicitur, quod liceat dominis omnes alienationes feudi factas (sine ipsorum consensu, aut ipsis ignorantibus; ut notat *Gl. ibid. V. Feudi factas*) nullà obstanti præscriptione, revocare: sub eiusmodi autem generali præscriptionis prohibitione non censetur comprehensa immemorialis, vel etiam illa, quæ est centum annorum, nisi id exprimitur; ut tradunt communiter DD. quod tamen limitat *Rosenthal c. l. n. 39.* ut non nisi tempore immemoriali, vel centum annorum præscribatur feudum contra dominum, casu, quo emptor vel alius per alienationem feudum nactus, dominum per præscriptionem omnino excludere velit, & sic tam utile, quam directum dominium sibi acquirere: secus verò, si duntaxat jus feudi, seu utile dominium se præscripsisse contendat, directo remanente penes dominum, omniâque obsequia vasalli præstare paratus sit.*

Porro, si is, in quem feudum fuit alienatum, sine consensu domini, illud 30. annis contra vasallum præscripsit, & dominus recuperet feudum sine consensu suo alienatum, non tenetur illud restituere vasallo, vel heredibus eius; quia ob negligentiam id non meretur, cum passus sit feudum præscribi, & sic illud, quantum in se fuit, quasi alienasse censetur, juxta *l. Alienationis; 28. ff. de V. S. & tradit Abb. c. l. num. 19. & Rosenthal cit. loc. num. 42.*

CXI. Resp. tertio. Si extraneus, in quem alienatum est feudum, & translata eius possessio, rem non tanquam feudalem, sed allodiam, seu propriam, annis 40. cum bona fide, possideat, præscribit eius dominium directum adversus dominum; ut docet *Alexand. de Nevo in cit. cap. Ad audientiam; n. 52. h. t. quamvis*

tali casu dominus in integrum restitui debeat, si potest, ob justam ignorantiam, ne feudum perdat, sed & vasallus, si pro libero segerat, bona fide, putans, non esse feudum, quod possidet; quia alteri in eo accessit, libertatem contra dominum, sive directum dominium feudi per præscriptionem 30. vel 40. annorum sibi acquirere potest; ut docet *Abb. in cit. cap. Ad audientiam; n. 13. h. t. & ibid. Alexand. de Nevo n. 57. & 58.*

CXII. Quæritur secundò. Quo tempore præscribatur feudum Ecclesiasticum, vel emphyteutis Ecclesiastica, hoc est, rei, cuius directum dominium, seu proprietas ad Ecclesiam pertinet? Resp. Præscribi adversus privatum vasallum, vel emphyteutam tempore 30. annorum, si quidem, sciente Ecclesia, novus vasallus, vel emphyteuta rem possidet; si verò ignorante Ecclesia, cuius est dominium directum, & cuius interest hunc potius, quam alium habere vasallum, aut emphyteutam; non nisi centum annis perficitur præscriptio; ut docent plures apud *Covarr. cit. p. 2. §. 2. n. 6. quamvis ipse ibid. & Molinarum, 2. disp. p. n. 3. existiment, quod possit quis tempore ordinari decem, vel viginti annorum, cum titulo, aut triginta sine titulo dominium utile rei adversus obvenientes illud ab Ecclesia, quæ directum habet, cuique in illis non præiudicatur, præscribere; cum tunc res non principaliter ad Ecclesiam, sed ad privatum, adversus quem præscribitur, pertineat. Quod tamen quoad feudum non videtur admittendum; quia hoc speciale est in feudo, ut non præscribatur minore tempore, quam triginta annorum; ut tradit *Abb. in cit. cap. Ad audientiam; n. 26. h. t.**

## S. V.

## Quo tempore præscribi possint Iura quadam spiritualia?

CXIII. Quæritur primò. Quo tempore præscribi possint beneficia Ecclesiastica? Resp. Beneficium Ecclesiasticum, quod aliquis possidet, cum tamen re verà ad alium, cui legitime collatum est, pertinet, potest cum bona fide, & titulo colorato, non quidem adversus Ecclesiam, sed adversus eum, qui legitimum titulum in eo habet, præscribi decem annis inter presentes, & viginti inter absentes, sicut dicitur *cap. 6. n. 34.* sine titulo autem non potest præscribi, quia sine illo non præsumitur bona fide possidentis beneficium: titulus autem ad beneficium non potest acquiri licite sine Canonica institutione. *Reg. 1. d. in 6. & constat ex cap. 3. de institut. Covarr. in reg. professor. §. 10. n. 9. Molina tract. 2. de just. disp. 70. n. 1.* Et hinc possessionem beneficii vacantis, in ordine ad usufructuandum, nemo potest ordinariè acquirere, nisi si sciat, vel patiat, is, qui conferre potest, aut vestire; quia id commune est rerum incorporalium seu Jurium possessionibus, & usufructibus, ut requiratur scientia, & patientia domini, cum alioquin usurpata censetur esse possessio: vel nisi per tempus immemorabile quis possederit, quod præsumptio inducit expressa, vel tacite collationis factæ. *Legum Jurisdict. ordin. concl. 54.*

CXIV. Co

CXIV. Ceterum hodie extat Regula Cancellariæ Apostolicæ 33. in qua statuitur, ut, si quis bonâ fide, cum titulo colorato, aliquid beneficium Ecclesiasticum, absque simoniaco ingressu, per triennium pacificè possedit, dummodo non sit intrusus in beneficio dispositioni Apostolicæ reservato, per reservationem generalem contentam in Corpore Juris, super eodem beneficio taliter possessio molestari nequeat: per quam constitutionem præscriptio beneficiorum, de jure communi est decennalis, vel vicennalis, facta est triennalis. Idque statutum fuit propter negligentiam non prosequentium jus suum intra triennium: ideoque denegatur eis postea actio in Judicio, ne beneficia sub incerto titulo possideantur. Requiritur autem plures condiciones expressæ in ipsa regula, ut ea locum habeat; prout videre est apud *Sanch. lib. 2. consil. cap. 1. dub. 20. & 24. no segg.* Veluti primò. Bona fides, saltem talis, quæ excludat peccatum. Secundò. Possessio, sive per se, sive per alium, ipsius nomine, res possideatur. Tertio. Ut sit pacifica, id est, sine lite mota: nam per citationem saltem validam, vel appellationem etiam extrajudicalem amittitur pacifica possessio. Quarto. Per triennium, illudque completum. Quintò. Debet esse possessio continuata ab eadem persona. Sextò. Ut sit possessio beneficij Ecclesiastici collati in titulum, sive per institutionem, sive per electionem, translationem, permutationem, præsentationem. *Sanch. c. l. dub. 29. n. 4.* sive sit dignitas, aut officium Ecclesiasticum; quamvis aliqui excipiant Abbatis mulierum; quia non sunt propriè dicta beneficia. Septimò. Ut adsit titulus, saltem coloratus, ab eo scilicet, qui potestatem habet jure communi, vel speciali beneficium conferendi, etsi fortè ob impedimentum v. g. excommunicationis, validè non conferat. Octavò. Ut non sit simoniacus possessor, quod intelligendum est de simonia reali ab ipso beneficiato commissa, & completâ, non de mentali, vel etiam conventionali. Non. Ut talis possessor non sit intrusus aliquo ex modis, quibus quis jure communi censetur intrusus in beneficio, quod dispositioni Apostolicæ generali reservatione in Corpore Juris contentâ est reservatum: de quibus plura videri possunt apud *Sanch. dub. 24. & multis segg. Azor p. 2. Instit. lib. 7. cap. 35. & alios.*

CXV. Porrò, quamvis regula illa solum videatur locum habere, negando actionem in foro externo contra possessorem triennalem ad repetendum beneficium: probabilis tamen est, quòd eadem regula jus, & titulum beneficij possessori tribuat, ita, ut Jus pristini possessoris omnino extinguatur, & novus possessor possit, transactio triennio, illud sine alia dispensatione, vel revalidatione tituli, retinere, etiam in foro conscientie; idque ad vitandas lites, & tollendos scrupulos, quibus aliàs non satis consultum esset: nam, cum S. Pontifex plenissimam potestatem habeat in beneficiis, potest ob bonum publicum ea his adimere, & aliis conferre: quare, cum dicitur, quòd beneficium Ecclesiasticum non possit licitè sine institutione obtineri, cap. 1. de R. I. in 6. id intelligendum est, seclusâ præscriptione fundatâ in titulo colorato. *Azor cit. cap. 35. q. 8. Sanch. cit. loc. dub. 21. Less. cit. cap. 6. dub. 10. num. 31. Laym. lib. 3. tract. 1. cap. 8. num. 16.*

Tomus II.

licet contrarium teneat *Covarr. cit. p. 2. §. 10. n. 10. Molina dis. 70. num. 1. novissimè Palao cit. pun. 22. §. 13. num. 10.* ad cuius argumenta respondet *Lugo cit. dis. 7. sec. 7.* qui videri potest.

CXVI. Quæritur secundò. Quantum tempus requiritur ad præscribendum jus eligendi Episcopum, vel alium similem Prælatum? Resp. vel extranei Clerici, qui non sunt à Collegio, eligere volunt, exclusis Capitularibus: hoc casu, cum Jus commune eis resistat, requiruntur quadraginta anni cum titulo colorato, v. g. prætextu privilegij Apostolici, vel tempus immemorabile, sine titulo, juxta cap. 1. h. t. in 6. vel extranei eligere volunt, non exclusis Collegiatis, seu Capitularibus: tum non opus est titulo, sed sufficere videtur tempus longissimum, videlicet quadraginta annorum: tanto enim tempore præscribitur contra Ecclesiam circa eiu(s)modi jura. cap. De quarta; 4. cap. Illud; 8. h. t. quia in huiusmodi incorporalibus sola patientia habetur pro titulo. *Glos. in cap. Cum Ecclesia; 3. V. Brevitatem temporis de caus. poss. & ibid. Imola num. 25. contra Abbat. ibid. num. 43.* qui titulum requirit, vel tempus immemorabile. Sed ratio est, tum quia hoc casu jus non resistit, seu non prohibet, quò minus ex concessione Capitularium jus eligendi competere possit extraneo Clerico; tum quia non agitur de re gravis præjudicij: non enim res magni præjudicij censetur, si Clerici extranei habeant jus eligendi cum Canonicis; quia ratum est magis arbitrium, quod plurimorum Judicio comprobatur. cap. Prudentiam; 21. de officio delegati. ideoque hic sufficit bona fides sine titulo. Idemque locum habet in jure confirmandi Prælatum. *Laym. lib. 3. tract. 1. cap. 9. num. 5. §. Id verò.* Confirmatur; quia huius juris possessio non acquiritur, nisi cum scientia, & patientia Capitularium, si Jus electionis ab extraneo contra Capitulum præscribatur: positâ enim scientiâ, & patientiâ, adest præscribendi titulus; consequenter præscriptio, etsi Jus repugnet, aut præsumptio sit contra præscribentem; quia scilicet è Corpore, seu Collegio Ecclesiæ non est (dummodo, ut ponimus, bona fides non desit) quadraginta annis perficitur, juxta cap. 1. h. t. in 6. quamvis is, qui præscribit, uni tantum electioni interfuerit; quia Prælatus electus quadraginta annis Ecclesiam rexit. *Glos. in cit. cap. Ecclesia; 3. V. In trium de caus. poss. Laym. in cap. Bone; 4. n. 2. de postulat. Prælat.*

CXVII. Quæritur tertio. Quo tempore præscribi possit Jus patronatûs, sive præsentandi ad beneficia? Resp. primò. Si constet, Ecclesiam ab initio, vel olim fuisse liberam, neque adsit titulus, Jus patronatûs à laico non potest præscribi adversus ipsam Ecclesiam, nisi tempore immemorabili; quia præsumptio Juris illi resistit, cum titulo verò tempore quadragenario. *Covarr. cit. p. 2. §. 10. num. 2. Less. cit. cap. 6. num. 31. Palao cit. §. 13. num. 12. Lugo cit. dis. 7. sec. 6. num. 90.* Si verò dubium sit, an Ecclesia Parochialis fuerit libera, poterit à Parochianis quadraginta annis, cum titulo, præscribi; quia sic à laico possunt præscribi Jura, & bona immobilia contra Ecclesiam: ergo multò magis etiam Jus patronatûs; cum verisimile sit, ipsos esse Fundatores illius Ecclesiæ, quàm diu de alio Fundatore non constat, & omnes Ecclesiæ præ-

Vvv 2

suman-

sumantur esse liberae; sine titulo verò tempore immemoriali praescribi potest à Parochianis; quia possessio temporis immemorialis inducit praesumptionem iusti tituli. *Covarr. cit. loc. num. 7. Less. cit. loc. Molina dis. 75. num. 7.* Similiter Jus praesentandi Rectorem in Ecclesia Collegiata, & multò magis ad simplicia beneficia, praescribi potest praedicto modo, & tempore à laicis; quia ob immemorialis temporis possessionem, quae habet vim tituli, praesumitur, quòd hoc jus Patronus sibi reservavit in ipsa fundatione, cum consensu Episcopi, vel quòd S. Pontificis privilegio ipsi fuerit concessum; licet aliàs Fundatori talis Ecclesiae non competat Jus praesentandi Praelatum, aut Rectorem, sed electio eius spectet ad Capitulum. *Covarr. cit. loc. num. 3. Less. cit. loc. num. 32. Molina cit. dis. 75. n. 8.*

CXVIII. Resp. Secundò. Quando Ecclesia non est libera, sed constat, illam patronum habere: tunc jus patronatus à laico contra verum patronum praescribi potest, cum titulo colorato, decem annis inter praesentes, & viginti inter absentes; sine titulo, annis triginta, sicut praescribi possunt alia bona immobilia, & jura contra privatos; ut ex communi docet *Covarr. cit. p. 2. §. 10. num. 8. Less. cit. loc. num. 33. Molin. cit. dis. 70. n. 2. Lugo cit. loc. n. 90.* Ratio est; quia hoc casu non praescribitur contra Ecclesiam, cuius parùm interest, hunc, vel illum habere patronum, sed solum adversus priorem patronum, qui non gaudet speciali privilegio, ut longiore tempore, quàm ordinario, contra illum praescribi debeat.

Porro, Jure novo Concilij Tridentini *sess. 25. cap. 9. de reform.* statutum est, ut neque immemorialis temporis probatio aliter eis (qui jus patronatus praetendunt) patrocinetur, quàm si praeter reliqua ad eam necessaria praesentationes etiam continuatæ, non minore saltem, quàm 50. annorum spatio, quæ omnes effectum sortitæ sint, Authenticis scripturis probentur, sed de hoc decreto plura alibi.

## §. VI.

### De tempore, quo praescribuntur Jura servitutum, obligationes, & actiones?

CXIX. Quæritur primò. Quo tempore praescribantur servitutes? Resp. Primò. Servitus mixta, quæ à re debetur personæ, ut est ususfructus, usus, & habitatio, praescriptione acquiritur, cum bona fide, & titulo concessio ab eo (qui non erat dominus rei, vel potestatem non habebat constituendi, putabatur tamen esse, vel habere) decem annis inter praesentes, & viginti inter absentes; sine titulo verò annis triginta; prout habetur in *l. ult. in fine. C. de praescript. long. tempor. Molin. tract. 2. de justit. dis. 70. n. 4. Less. cit. cap. 6. dub. 9. n. 27. & alii communiter.*

Secundò. Servitus merè realis, quæ à re rei debetur, sive affirmativa, sive negativa, sive rustica, sive urbana, sive sit continua, vel quasi continua, quæ quantum est ex se, continuuum actum, vel usum habet (qualis est servitus oneris ferendi, stillicidii, tigni immittendi, aquæ ductus) sive sit discon-

tinua, cuius usus per intervalla est; quia ab hominum actione pendet (ut est servitus itineris per fundum alienum, agendi jumentum, ducendi curram) cum titulo, & bona fide, praescribitur decem annis contra praesentes, 20. verò contra absentes. *cit. l. fin. C. de praescript. long. temp. neque requiritur scientia, & patientia eius, contra quem praescribitur, quia adeest titulus; ut ex communi tradit Less. c. l. n. 28.*

Tertiò. Servitus merè realis, si sit continua, vel quasi continua, absque titulo, sciente tamen, & patiente adversario, contra quem praescribitur, 10. annis inter praesentes, & 20. inter absentes praescriptione acquiritur. *l. 1. & 2. C. de servitut. l. Si quis; 20. ff. Si servit. vindic. & est communis sententia apud Less. c. l. Ratio est; si enim Dominus, vel is, cuius interest, sciat, & permittat exerceri tale Jus, tam longo tempore, censetur illud sponte concedere. Si verò sit servitus discontinua, absque titulo, non praescribitur, nisi tempore immemoriali; ut colligitur ex *l. Servitut. res; 4. ff. de servit. & tradunt communiter DD. apud Less. c. l.* Neque verò hoc casu necessaria est patientia, & scientia Domini, sive eius, contra quem praescribitur; quia possessio temporis immemorialis tribuit praesumptionem tituli, & privilegij. *Facin. lib. 13. contror. cap. 82. in fine. l. Hoc jure; 3. §. Aquæ ductus. ff. de aqua quodid. & estiv. Laym. lib. 3. tract. 1. cap. 9. n. 4.* Ratio autem disparitatis inter servitutum continuam, & discontinuam, quoad hoc est; quia in hac virtute agendi jumentum per fundum alienum, non ita facile potuit à domino adverti possessio huius Juris, ut posset eam impedire; cum eius usus sit valde interruptus: neque potest assignari tempus, quo cæperit possessio: ideo sine titulo non praescribitur, nisi tempore immemoriali: at verò in servitute continua eius usus facile advertitur, cum sit continuus, vel quasi continuus. *Less. cit. loc. n. 28. §. Duo 5.* Porro ususfructus praescribitur, sine titulo triginta annis, ut supra dictum; quia non est servitus plene discontinua, sed potius continua; cum rei, ex qua percipitur, continuò adhæreat ipsam jus percipiendi ususfructum, licet fructus non semper percipiantur, sed certis temporibus. *Palao cit. §. 19. num. 7.**

CXX. Illud hic præterea notandum, quæ servitutes reales negativæ, quæ scilicet in negatione consistunt, eodem tempore praescribantur, quo & affirmativæ: hoc tamen est inter utraque discrimen, quòd in affirmativis (cuiusmodi sunt illæ, in quibus tribuitur jus agendi aliquid circa rem alterius, v. g. tigni immittendi in parietem vicini, stillicidia, aquæ ductus, item jus eligendi, praesentandi &c.) incipit possessio; & consequenter etiam praescriptio currit ab eo die, quo quis tali Jure, bonâ fide, utitur. In negativis verò, in quibus datur jus alicui impedire, ut alter aliquid agat, v. g. ne altius ædificet, vel ne tollat domum suam, ne fenestram in pariete suo aperiat, ne venetur in tali sylvâ, ne electioni interdicti possessio incipit ab eo die, quo servitutum praescriptio re volens alterum positivè prohibet, vel impedit, ut id, quod molitur, agat, v. g. ne altius ædificet, ne fenestram aperiat, modò ille prohibitioni acquiescat. *Less. c. l. n. 29. Molin. cit. dis. 70. n. 6. Laym. cit. c. 9. n. 1.*

CXXI. Quæritur secundò. Quanto tempore servitutes per praescriptionem amittantur? Respon-

usufrauctus, & omnes servitutes reales per non usum amittuntur 10. annis inter præsentem, & 20. inter absentes; prout expressè habetur in *l. ult. C. De servitut.* Ubi tamen notandum est discrimen inter servitutes rusticas, & urbanas, quòd rusticæ, sicut & usufrauctus, per solum non usum tolluntur, neque requiruntur; ut is, qui debet servitutem, aliquid faciat, quo incipiat præscribere suam libertatem, sed sufficit solus non usus eius, cui servitus competit. *l. Hæc autem jura; 6. ff. De servit. urban. prædior.* Neque etiam requiritur in præscribente libertatem à servitute rustica bona fides, quâ putet, non deberi talem servitutem, vel nesciat alterum jus servitutis habere, sed sufficit, quòd is, cui servitus debetur, sive sciens, sive ignorans, eâ non utatur, modò is, qui debet servitutem, eum non impediatur, nec decipiat: sic v. g. is, qui jus servitutis habet eundi, agendi jumentum, ducendi plaustrum, vel aquam per prædium alterius, amittit servitutem illam solo non usu per 10. annos, si præfens, vel per 20. si absens sit. At verò servitutes urbanæ non amittuntur solo non usu eius, cui servitus debetur; sed insuper requiruntur, ut is, qui debet servitutem, & libertatem ab illa præscribere vult, positivum actum contrarium servituti, bonâ fide, exerceat, scè que à servitute liberum reddat: à quo tempore incipit præscribere suam libertatem; prout habetur in *cit. l. Hæc autem jura; v. g. si Titius habeat jus, ne vicinus altiùs tollat ædes suas, & luminibus ædium suorum officiat, non amittit Titius jus, nisi vicinus contra faciat, & altiùs ædificet, & ipse, post illud factum, præfens per 10. annos, vel absens per 20. sileat. Similiter, si Titius habeat jus immittendi tignum in parietem vicini, si eximat tignum, & vicinus nihil faciat, quo impediatur, ne Titius rursus immittat tignum, is non perdit jus suum, non utendo illo, nisi vicinus obstruat foramen, unde tignum exemptum, vel extractum est, & Titius per tempus statutum 10. vel 20. annorum non utatur jure suo, neque tignum denuo immittat; tunc enim perdit jus suum, quæ sunt exempla posita in *cit. l. Hæc autem jura.* Ratio est; quia, nisi præscribens immunitatem à servitute, exerceat actum contrarium alterius juri, non constituitur in possessione libertatis: sine possessione autem non procedit præscriptio. Requiritur autem, ut is, qui debet servitutem, bonâ fide agat, putans se liberum à servitute; adeòque nesciat, alteri jus servitutis competere: alioquin injustè faceret actum positivum contrarium servituti ab ipso alteri debite, in quo injuriam inferret; ut patet ex supra dictis. *Molin. tract. 2. dis. 66. n. 8. § 9. Less. cit. c. 6. n. 30. Laym. cit. c. 9. n. 7. Lugo cit. sec. 6. n. 78.**

CXXXII. Illud tamen hic addendum, si jus servitutis non habeat usum quotidianum; quia v. g. aliquis habet jus ducendi aquam ex fundo alieno, non quotidie, sed æternis tantum hebdomadis, vel mensibus, vel æstate tantum, requiritur ad amittendam talem servitutem per non usum tempus duplicatum, videlicet 20. annorum inter præsentem. *l. Si sic. 7. ff. Quemadmodum servit. amitt. l. ult. C. De servitut. Quod tamen extendi non debet ultra servitutes merè reales, neque, si tempus duplicatum excederet spatium 40. annorum; ut docet Covarr. lib. 1. var. resol. c. 17. n. 10. an autem hoc casu tempus duplicandum etiam sit ad spatium 40. annorum inter absentes, non constat;*

quia de hoc leges nihil statuerunt. *Mol. cit. dis. 70. n. 10. Laym. c. l. n. 7. Lugo c. l. n. 79.* probabilior tamen videtur sententia negativa; quia in citatis locis solum de præscriptione inter præsentem est sermo: ac proinde decisio illa *cit. l. Hæc autem jura. ff. De servit. Urb. præd.* quoad absentes incorrecta manet. *Gl. in l. ult. l. Desidia. C. De servitut. Palao cit. §. 13. n. 9.*

CXXXIII. Quæritur tertio. Quo tempore præscribantur actiones, & debita, seu obligationes procedentes ex contractu, vel quasi contractu, vel ex delicto? Respond. primò. Actiones civiles, tam reales, quàm personales, & obligationes, seu debita rerum mobilium, & immobilium, quæ per actiones exiggi possunt, regulariter præscribuntur XXX. annis contra creditores, cum bona fide. *l. Sicut; 3. C. De præscript. 30. vel 40. ann. quamvis aliqua minore tempore præscribuntur. Molin. tr. 2. dis. 71. num. 1. § 2. Less. cit. c. 6. n. 36. & alii communiter.*

Excipitur ab hac regula actio hypothecaria; nam, si res hypothecata possideatur ab ipso debitore, qui eam oppignoravit, vel eius heredibus, non præscribitur adversus creditores, nisi annis 40. currentibus à die, quo debitum solvendum erat. *l. Cum notissimi; 7. C. De præscript. 30. vel 40. ann.* requiritur autem in debitore bona fides, quâ putet, se non debere, & ut intra tempus illud quadragenarium creditor non exegerit debitum. *Less. cit. c. 6. n. 37.* Si verò res possideatur ab alio secundo creditore, cui res postea etiam hypothecata fuit, iste quoque non præscribit, nisi 40. annis, vivente adhuc communi debitore: hoc autem mortuo, præscribet 30. annis; quòd, si velit computare tempus, quo vixit debitor, requiruntur anni 40. ad præscribendum; si denique res hypothecata possideatur ab alio tertio, qui nec debitor, nec creditor est, nec heres utriusque; quia fortè fuit vendita ei, qui ignorabat, esse hypothecatam; tum præscribitur actio hypothecaria tempore ordinario, cum titulo, videlicet 10. annis inter præsentem, & 20. inter absentes, vel 30. sine titulo; prout habetur in *cit. l. Cum notissimi; §. l. 1. § 2. C. Si advers. credit. Less. c. l. Molin. tr. 2. dis. 69. n. 5.*

CXXXIV. Respond. secundò, adversus Ecclesias, & loca pia, si agatur de rebus immobilibus præscribendis, non præscribitur aliqua actio, & obligatio, nisi spatio 40. annorum; si tamen talis sit actio, quæ decennio saltem, vel longiore tempore, non autem breviorè durat; & tunc ad præscribendum adversus Ecclesiam Romanam requiritur tempus centum annorum; aliæ verò actiones, quæ breviorè tempore, quàm decennio durant, adversus Ecclesias eodem tempore præscribuntur, quo adversus privatos; ut constat ex *Auth. Quas actiones; junct. Gl. v. Durantibus; C. De SS. Eccles. Covarr. in reg. possessor p. 2. §. 2. n. 5. § 6. Molin. tr. 2. dis. 71. n. 3.*

CXXXV. Respond. tertio. Legata, & fideicommissa non possunt præscribi contra legatarium, & fideicommissarium, tempore ordinario, sive longo 10. vel 20. annorum; ut habetur in *l. 3. §. pen. C. Commun. de legat.* sed non nisi spatio 30. annorum; quia hoc tempus supplet defectum tituli in possessore bona fidei, ex communi sententia DD. apud *Less. cit. c. 6. n. 39.*

CXXXVI. Respond. quarto. Obligationes procedentes ex delicto, indèque ortæ actiones criminales,

nales, ordinariè præscriptione 20. annorum tolluntur, computando hoc tempus à die commissi criminis. *l. Querelam; 12. C. ad l. Cornel. de falsis.* Sunt tamen quædam delicta, quorum accusatio minore tempore extinguitur; ut accusatio adulterii quinquennio, *l. Mariti; 29. §. Præterea; & l. Quinquennio; 31. ff. Ad leg. Jul. de adul. & l. Adulter. §. C. eod.* Item crimen peculatus. *l. Peculatus; 7. junct. Gl. ff. Ad l. Jul. pecul.* Actio item injuriarum tendens, non ad damnum refarciendum, sed ad penam, vel civilem, vel criminalem, præscriptione intra annum extingui potest. *l. Si non; 5. C. De injuriis. Lugo cit. dis. 7. n. 101.* Quod autem dictum est de vicenniali præscriptione, idem dicendum est etiam de inquisitione ex officio Judicis, quæ cum succedat loco accusationis, hac sublata, etiam illa sublata censetur. *Clar. l. 5. Sent. §. fin. q. 51. n. 2. Laym. cit. c. 8. n. 16.*

Porrò quanto tempore per longam consuetudinem præscribatur contra legem, sive civilem, sive canonicam, dictum est supra *lib. 1. tit. 4. sec. 1. §. 6. n. 34. & seqq.*

### §. VII.

*Quomodo præscriptio temporis immemorialis, & centenaria inter se differant, & qualiter utraque probetur?*

CXXVII. Assertio prima. Possessio immemorialis vocatur, cuius initium hominum memoriam excedit. *l. 2. §. Idem labeo; ibi: Aut cuius memoria non extat ff. De aqua, & aqu. pluv. arcend. l. Hæc jura 3. §. Ductus aque. ff. De aqua; quod ibi: Cuius origo memoriam excoessit, scilicet hominum, qui nunc vivunt. Gl. ibid. V. Memoriam.* Censetur autem excedere memoriam hominum, si excedat centum annos, qui est finis vitæ longævæ hominis. *l. An usufructus; 5. 6. in fine ff. De usufructu. l. fin. C. De SS. Eccles. id eoque vita, ac memoria hominum solum per centum annos durare præsumitur.* Itaque possessio, & præscriptio immemorialis in primis differt à centenaria in eo, quòd, quamvis prior nullum certum, ac definitum annorum tempus requirat, exigit tamen, ut excedat centum annos, & de eius initio non constet: centenaria autem non exigit, ut procedat ultra centum annos, neque, ut incognitum sit eius initium, sive, ut hominum memoriam excedat. *Molin. tract. 2. de just. dis. 76. n. 1. Palao cit. p. 22. §. 12. n. 9.* Secundò, differt, quòd in centenaria præscriptione necessarius sit titulus, qui allegetur, & probetur, siquidem præsumptio juris communis sit contra præscribentem: in immemoriali verò non est necesse probare, vel allegare titulum, cum ipsa tantum temporis continuata possessio jus tribuat, si sit capacitas in possidente. *Gl. in c. 1. V. Titulus; & V. Nisi; h. t. in 6. Covarr. in reg. possessor. p. 2. §. 3. n. 6. & 7. Laym. lib. 3. tr. 1. c. 8. n. 15.*

CXXVIII. Ubi notandum primò. Probata possessione temporis immemorialis, censetur etiam probatum, dominium acquisitum esse, & habet tale tempus vim privilegii, & concessionis, etiam in his,

quæ sunt Principi reservata; & non solum non est necessaria tituli allegatio, ut jam dictum; sed neque requiritur scientia eius, contra quem præscribitur, & probata præscriptione tanti temporis, non admittitur probatio in contrarium. *Mysing. cent. 1. obs. 10.*

Notandum secundò. Præscriptioni temporis immemorialis non obstat, quòd constat, ante 200 vel 300. aut plures annos possessionem alicuius rei cœpisse, & antea nullam fuisse, dummodo initium illius possessionis memoriam senum, qui nunc vivunt, etiam ex auditu, & relatione Majorum suorum excuset: neque etiam aperte sciatur, quod fuerit initium talis temporis. *Navarr. consil. ult. h. t. num. 4. ubi. c. Mol. cit. dis. 76. n. 3. Laym. c. l.*

CXXIX. Assertio secunda. Differt etiam possessio, seu præscriptio temporis immemorialis à centenaria in probatione: nam prior probari solet per testes, ad probandum autem tempus, cuius initium memoria non extat, requiruntur sequentia. Primo, ut testes deponant, quòd semper viderint, & audierint, ita esse, à suis Maioribus. Secundò quòd nequam viderunt, vel audierunt, fuisse observatum contrarium. Tertio, quòd communis est, & fore semper opinio, & fama publica, sic fuisse, & quòd non extat de contrario usu, vel de initio possessionis memoria. *Gl. communiter recepta; in cit. c. 1. h. t. in 6. Covarr. cit. §. 3. n. 7. Mol. c. l. n. 5.* Addunt aliqui, requiri præterea, quòd testes sint 54. annorum, & de 40. annis testificentur, se ita vidisse, & audivisse. *Covarr. c. l. Mysing. cit. obs. 30.* Verùm *Gl. cit.* nihil de hoc requisito exprelit: & contrarium tenet. *Molin. c. l.* quia non est necesse, ut testes, quando testificentur per 40. annos sic observatum fuisse, sint ætatis annorum 54. ita, ut tempore, de quo testificantur, jam puberes facti sint: ideoque satis esse videtur, si 48. vel 50. annorum sint.

Porrò, si contra hos testes adversarius contrarium probare velit, debet producere testes, qui deponant, quòd viderint tali tempore contrarium, vel audierint, à suis maioribus contrarium fuisse observatum. Quòd si in tali casu utraque pars probavit pro se; tunc præferendi sunt testes magis idonei, & qui aptiora, seu verisimiliora deponunt: ac plerumque præferendi videntur ii, qui dicunt, contrarium se vidisse, vel audivisse; quia hi deponunt super affirmativam, cum alii in sua depositione involvant negativam. *Gl. in cit. c. 1. V. Memoria.* Quòd verò ad centenariam possessionem, ac præscriptionem attinet, ea probari potest, vel per publicum instrumentum, et quo de possessione à tempore centum annorum, vel ante centum annos comparatà constat: vel per testes, quorum depositiones, ante illorum mortem, ad perpetuam rei memoriam, juridicè sunt receptæ, & in scripta redactæ; juxta *c. ult. Ut litæ non contestatæ* vel qui de integro centum annorum spatio deponunt: nam testis deponere potest de iis, quæ ante pubertatem vidit, modò tempore, quo deponit, pubes factus neque requiritur, ut tempore, de quo deponit, pubertatis annos exceaserit, nisi id specialiter in jure statutum sit, ut in testamentis. *§. Testes; juxta Gl. V. Neque impubes; Institut. de testam. Covarr. c. l. n. 8. Mol. cit. dis.*

*76. num. 4.*

## S E C T I O I V.

DE NONNULLIS IMPEDI-  
mentis præscriptionis, quò minùs ea  
procedat, vel cœpta continuetur, & de  
restitutione adversùs eandem iam  
completam.

## §. I.

Quando præscriptio non procedat, seu  
non currat, vel dormiat, seu  
suspendatur?

CXXX. Assertio prima. Præscriptio dicitur  
non procedere, sive non currere: quia ob aliquam  
causam non incipit, vel non potest incipere: idque  
evenire potest; vel, quia deest possessio civilis, sine  
qua non potest procedere præscriptio; vel ex defectu  
bonæ fidei; vel etiam ex defectu tituli, quando ad  
præscriptionem talem non sufficit bona fides, sine ti-  
tulo; ut ad præscriptionem triennale, decennale,  
& vicennale; ut patet ex suprâ dictis: vel  
denique ex incapacitate ipsius rei, quæ, vel ex lege,  
vel ex natura sua, saltem in talibus circumstanti-  
is, præscribi non potest. *Covarr. in reg. possessor p. 2. §. 12. num. 1. Less. cit. c. 6. dub. 16. n. 49. Molin. tr. 2. dis. 78. n. 1. & 2.* Sunt tamen quædam res, in quibus  
continuari jam incepta: nam, si pater v. g. bona  
adventicia filii, quorum ususfructum habet, alienet,  
alienatio non valet, nec potest incipere præscri-  
ptio adversùs filium, donec is patriam potestatem  
egrediat; & tunc sola præscriptio 30. annorum  
contra illum procedere potest, ob malam fidem eius,  
qui alienavit; ut constat ex l. 1. §. ult. C. De annali  
except. l. 1. juncta Auth. Nisi trienniali. C. De bonis matern.  
si tamen præscriptio talium bonorum jam incepta,  
antequam ad filiumfam. pertinere cœperunt, potest  
continuari contra illum præscriptio jam cœpta, ne-  
que cessat, aut suspenditur ex eo, quòd ad talem fi-  
lium bona illa pertinere incipiant. *Molin. cit. dis. 78. n. 4. Less. cit. c. 6. n. 48.* similiter fundus dotalis, post-  
quam dotalis est factus, non potest incipere præscribi  
adversùs uxorem, cuius est. l. In rebus; 30. C. De jure  
dot. potest tamen continuari præscriptio jam incepta,  
antequam dotalis effectus esset. l. Si fundum; 16. ff. De fundo dotali. ubi habetur, licet lex Julia, quæ vetat  
fundum dotalem alienari, etiam ad præscriptio-  
nem pertineat: non tamen interpellat eam possessio-  
nem, quæ per longum tempus sit, si, antequam fun-  
dus in dotem constitueretur, jam cœperat. *Mol. c. l. Ratio est; quia minùs requiritur ad continuandam  
præscriptionem, quam ad inchoandam: sicut plus  
requiritur regulariter ad rei generationem, quàm ad  
eius conservationem.*

CXXXI. Assertio secunda. Præscriptio jam  
inchoata interdum dicitur dormire, quando nimirum  
cessat currere ad tempus, propter impedimentum ad-  
veniens, ac interim suspensa manet, sive quiescit,

ita tamen, ut cessante illo impedimento, denuo currat,  
& continuati possit tempus subsequens eum tempo-  
re præcedente impedimentum, ad integrandam, &  
complendam præscriptionem. Sic autem dicitur  
dormire præscriptio primò, tempore hostilitatis, sive  
belli; ut constat ex c. Ex transmissa; 10. h. t. Ubi  
talis casus proponitur: Ecclesia Parochialis, &  
Matrix de Camenone jure proprietatis, seu incor-  
porationis pertinebat ad Monasterium Habeneuse.  
Ea Ecclesia habebat sibi subiectas alias Ecclesias fi-  
liales, seu Capellas, quarum Parochiani ad decimas,  
& alias oblationes, spectato Jure communi, Eccle-  
siæ matrici solvendas obligabantur (ita tamen, ut  
Sacerdoti, & Clericis, qui filiabus Ecclesiis præfunt,  
congrua sustentatio provideatur. c. Ad audientiam; 3.  
de Ecclesi. adif.) sed Clerici, qui prædictas filiales  
Ecclesias obtinebant, paulatim omne jus Parochia-  
le, præter jus funerandi, seu sepulturæ, Matrici Ec-  
clesiæ subtraxerunt. Consultus de hac re Papa Lu-  
cius II. mandavit, ut decimæ, oblationes, & aliæ  
obventiones (non obstante præscriptione, quæ  
tempore hostilitatis non currit) Ecclesiæ Matrici  
restituantur. *Consentit text in c. Prima actio; 13. caus. 16. q. 3.* Ratio decisionis est; quia tempo-  
re belli, ob hostium incursum, jus non dicitur, cum  
homines aliò diffugiant: non valenti autem agere  
tempus non currit. l. 1. C. De ann. except. ideo præ-  
scriptio interim non currit, sed quiescit; ita tamen,  
ut sublato postea impedimento hostilitatis, quò mi-  
nùs actio in Judicio institui potuit, præscriptio ite-  
rum currat, subtracto inde tempore illo medio, quo  
cursum præscriptionis cessavit; sive illud modicum  
fuerit, sive magnum. *Gl. fin. hic, & Abb. n. 4.* ubi  
addit, id habere locum, non tantum secundum Ca-  
nones in Ecclesiis, & quoad personas Ecclesiasticas,  
sed etiam secundum leges civiles, & in laicis.

Idemque pari ratione dicendum est, si tempore  
grassantis pestis jus non dicatur; ut docet *Bart. in l. Naturaliter; §. n. 23. ff. De usucap. Abb. hic n. 7. Molin. cit. dis. 78. n. 9.* Nam, quamvis id jure expressum  
non habeatur; quia tamen non omnes casus legibus  
comprehendi possunt; ideo, cum unus pro facti ra-  
tione, ac specie decisus fuit, ea decisio ad alios simi-  
les casus, ob rationis identitatem, extendi debet. l. Non possunt; 12. ff. De legib.

Secundò, dormit, seu suspensa manet præscri-  
ptio adversùs Ecclesiam, quando ea vacat, sive caret  
Prælato; adeoque immediato defensore. c. 1. C. ult. Ne sede vacante &c. vel, si Prælatus agere non possit;  
quia excommunicatus, suspensus, captivus, vel quo-  
vis alio modo impeditus est ab agendo. c. 1. c. Auditus; 15. h. t. ubi habetur, quòd tempus, quo Ecclesia,  
sive Sedes Episcopalis vacavit, subtrahendum sit, ne-  
que computandum ad constituendum tempus inte-  
gram ad præscribendum necessarium. *Abb. hic n. 8. Mol. cit. dis. 78. n. 7.* & patet ex suprâ dictis. Idque  
*Bart. c. l. n. 25. & Abb. in c. 1. n. 3. h. t.* extendunt  
ad tempus Imperii Romani vacantis, quòd neque  
tunc currat præscriptio contra Jura Imperii, sed quie-  
scat: idemque dicendum est de vacante Regno. *Molin. c. l.* Similiter adversùs Ecclesiam Romanam,  
tempore schismatis, non procedit præscriptio: sed  
interim suspensa est, ac dormit; quia jura, & possessio-  
nes

fiones Ecclesiæ malè defenduntur. c. *Cum nobis*; 14. b. t. *Abb. in cir. c. Ex transmissa*; n. 9. & dictum suprâ. Tertio dormit, seu cessat etiam præscriptio adversus pupillum, durante ætate pupillari, non item, cum ad pubertatis annos pervenit. l. *Sicut*; 3. C. De præscript. 30. vel 40. ann. & Auth. nisi triennale. C. De bon. matern. *Molin. c. l.*

CXXXII. Notandum hîc præterea primò, Quod dictum est, præscriptionem non currere, sed cessare, ac veluti dormire, & quiescere, si is, contra quem præscribitur, agere non possit, id solùm procedit, si quis impediatur agere, ob impedimentum juris, & intrinsicum: secus, si ob impedimentum facti, & extrinsecum: ut, si quis spectato jure communi, agere possit, sed ob extrinsecam causam, v. g. necessitatis absentis propter Rempubl. ab agendo impediatur; tunc enim præscriptio currit, & perficitur, sed impedito conceditur beneficium restitutionis in integrum, juxta l. 1. ff. *Ex quib. caus. majores* & c. Nam generalis regula est apud *Abbat. in cir. c. Ex transmissa*; n. 13. & *Felin. ibid. n. 8.* quòd impedito agere de jure non currat præscriptio, sed impedito agere de facto currat, quamvis restituendus sit in integrum, si impedimentum justum fuit.

Verùm *Barb. in Collect. in cir. c. Ex transmissa*; h. t. ait, traditam doctrinam, quòd præscriptio ipso jure currat contra eos, qui non jure, sed facto aliquo impediuntur, non habere locum, quando impedimentum facti est commune, seu generale, & notorium omnibus; quale est proveniens ex bello, vel schismate, & similibus, quæ non sunt impedimenta juris, sed facti; quia non jus, seu lex, sed factum tunc impedit agere in Judicio: & nihilominus tamen perinde, ac si esset impedimentum juris, impeditur ipso jure præscriptio, nec restitutio est necessaria. Aliud est de impedimentis facti, quæ nec generalia sunt, nec notoria; qualia sunt, si quis in exilio, vel captivitate detineatur; tunc enim non ipso jure impeditur præscriptio, sed necessaria est restitutio, juxta *reg. ex Abbate traditam.*

Notandum secundo. Ob negligentiam Administratoris lege constituti minoribus natu, Ecclesiis, piis locis, ac causis, currit, & perficitur præscriptio, etiamsi per se ipsas agere non possint, ut, si Episcopus loci agere negligat pro relictis indeterminatè ad sustentationem pauperum, ad quem aliàs id pertinet, si alius executor non sit constitutus. l. *Nulli*; 28. l. *Si quis*; 48. C. De Episc. & Cleric. Alia verò quoad hoc est ratio de patre, penes quem sunt adventitia bona filii, si negligat pro iis agere: nam tunc non procedit præscriptio contra filiumfam. quàm diu est sub patria potestate, quia ea pater non, ut legitimus administrator filii datus, sed proprio jure usufructus penes se tenet. *Abb. in c. Ad omnes*; 6. n. 6. h. t. sicut nec contra uxorem in rebus dotalibus, dum constantè matrimonio agere non potest, currit præscriptio. l. *In rebus*; 30. C. De jure dot. quia maritus dotem detinet, & administrat jure proprio, propter utrumfructum ad se pertinentem. *Abb.*

*in c. 2. n. 10. & II. h. t.*



## S. II.

Quando, & quomodo præscriptio interrumpatur, & an etiam per interruptionem privilegii contrarii?

CXXXIII. Assertio prima. Præscriptio non legitimè cœpta quandoque omnino interrumpitur, antequam compleatur, sive ita cessat, ut, si cessante interruptionis causâ, sive impedimento, rursus reviviscat, & procedat, non continetur cum tempore prioris, sed de novo debeat inchoari, & necesse sit denuo incipere, & percurrere totum tempus ad præscribendum requisitum, cum totum tempus præcedens interruptionem sit extinctum; prout sumitur ex c. *Illud autem*; 8. h. t. Ubi in fine dicitur, si probata fuerit interruptio, præscriptio non tenetur. Est autem duplex interruptio, naturalis, & civilis; ut tradit *Gl. communiter recepta ibid. V. Interruptio*; & *Abb. n. 6. Covarr. in reg. Possessor. §. 10. n. 1. Molin. c. 2. de justit. dis. 78. n. 10. & alii.* Naturaliter interrumpitur præscriptio, quando aliquid ex his, quæ ad substantiam præscriptionis requiruntur, deficit, ut si amittatur possessio; quia v. g. per inundationem æquarum, aut fluminis occupatus est fundus: vel si omnia sit possessio civilis per ipoliationem; idque locum habet, tum in rebus corporalibus; tum incorporalibus, sive juribus; ut, si quis sit in possessione eligendi, vel præsentandi, & vel una vice repulsus acquiescat, & discedat, ex eo tempore amittit possessionem juris, & consequenter interrupta est præscriptio, in utroque de novo eam inchoare debeat; vel etiam interrumpitur naturaliter præscriptio, si cesset titulus, si quidem talis sit præscriptio, quæ titulum requirit; secus, si non requirat. *Molin. c. l.* Vel denique interrumpitur præscriptio naturaliter, si bona fides cesset, seu amittatur; quia rei aliena scientia intervenit, nam bona fides necessariò requiritur, non solum ad inchoationem, sed etiam ad continuationem, & progressum præscriptionis: ergo, si adesse desinat, cessat præscriptionis interrumpitur, & omnino extinguitur, ita, ut redeunte bonâ fide, necesse sit iterum de novo incipere præscriptionem. *Abb. c. l. n. 9. Covarr. c. l. n. 2. Molin. c. l. n. 10.* contra *Felinum*, & alios, qui censent, ob defectum bonæ fidei præscriptio non solum dormire, & non omnino interrumpi. Ratio communis sententiæ est: quia, vel possessor, superveniente malâ fide, desit civiliter possidere, volens jam, ut suam possidere, quod scit esse alienam; tunc interrumpitur præscriptio, ob defectum possessionis civilis: vel vult adhuc injustè possidere rem, ut propriam, quam scit esse alienam; & tunc non est verisimile, quòd leges, seu jura voluerint dare beneficium præscriptionis injusto illi possessori, propter injustam intentionem possidendi rem alienam; cum tamen priori illi, qui desit civiliter possidere, id beneficium negent. *Lug. cit. sect. 7. n. 150.*

CXXXIV. Civiliter interrumpitur præscriptio, ex juris dispositione, per actum aliquem Judicium interpositum, videlicet motæ litis super re ad altero possessa. Et imprimis quidem præscriptio

triennalis per litem contestationem non interruptitur, sed continuatur, ac perfici potest, etiam durante lite, ita tamen, ut quamvis post lapsum interea triennium, adversus possessorem sententia lata sit, res possessa restitui debeat ei, pro quo iudicatum est, non habitâ ratione ulucapionis. l. 2. §. ult. ff. de usucap. Pro emptore; l. Iulianus; §. 9. Proinde; ff. ad exhibend. l. Si post acceptum; 18. ff. de rei vind. Abb. in cit. c. Illud; num. 11. h. t. Covarr. cit. §. 12. num. 4. concl. 1. Molin. cit. dis. 78. n. 12. Nam hæc triennalis præscriptio valde favorabilis est, & in favorem possidentis tantum introducta. Præscriptio verò longi temporis, videlicet X. annorum inter præsentis, & XX. inter absentes circa rem immobilem, cum titulo colorato, per litem contestationem, coram Iudice competente, interruptitur; non verò per solam citationem. l. Moxa litis; 26. C. de rei vindic. Nam talis præscriptio introducta est, partim in favorem possidentis, partim in odium jus suum recuperare negligentis; ut refert Gratianus in c. Placuit; 15. §. Præscriptionum; caus. 16. q. 3. Idemque est dicendum de præscriptione longissimi temporis 30. vel 40. annorum, sine titulo, quæ propter bonæ fidei possessionem, & prolongationem illam maioris temporis, æquiparatur præscriptioni 10. vel 20. annorum cum titulo, & mixta quoque censetur. Abb. in cit. c. Illud. n. 11. & 13. Covarr. cit. §. 12. concl. 2. & 3. Molin. cit. dis. 78. n. 13. Requiritur tamen, ut sententia postea feratur contra possessorem ad hoc, ut per litem contestationem talis præscriptio interrupta esse, censetur. Arg. l. Evidenter; 16. ff. de except. rei judic. nam possessore postea absoluto, per litem contestationem non interruptitur præscriptio; quia effectus iste pendet ab eo, tanquam à conditione, quod Actor, qui litem movit, in causa non succubuerit: tunc enim non interruptitur. Mol. c. l. n. 14. Less. cit. c. 6. n. 49. Addunt aliqui, ad hoc, ut per litem contestationem præscriptio interruptatur, requiri etiam, ut Actor litem contestetur, animo illam prosequendi, & non tantum animo interruptendi præscriptionem; ideòque, si litem absque causa, sponte deferat, & non persequatur, non erit interrupta præscriptio: alij verò DD. communiter negant, id requiri; ut tradit Gl. in l. ult. V. Humane. C. de præscr. 30. vel 40. ann. eamque veriore apparet, ait Covarr. cit. §. 12. n. 4. concl. 2. Sed rectius distinguitur cum Molin. cit. dis. 78. n. 14. vel ex circumstantiis constat, aut vehemens est præsumptio, juxta arbitrium Iudicis, litem dolo motam esse ab Actore, & contestatam, animo solum interruptendi præscriptionem, eamque prolongandi; & tunc in utroque foro nec interrupta, nec prolongata censenda est præscriptio; ut colligitur ex cit. l. ult. C. de præscr. 30. vel 40. ann. Vel non est talis præsumptio, & non est censendum, præscriptionem per litem contestationem interruptam, vel prolongatam esse, si Actor litem prosequatur, si non; ut colligitur ex eadem l. ult. & hoc est, quod communis sententia DD. tradit.

Denique præscriptio, quæ procedit cum mala fide, hoc est, à debitore conficis, quod v.g. servitutum, vel aliquid aliud debeat alteri, contra quem præscribit, ex eo solum, quod creditor id non exigat, vel eo non utatur, interruptitur per solam citationem, quippe per quam debitum virtualiter exigitur; prout habetur in l. Sicut; 3. junct. Gl. V. Per

Tomus 11.

executorem; & l. Cum notissimi; 7. In princ. & §. Imò; & illud; C. de præscr. 30. vel 40. ann. quia talis præscriptio solum introducta est in odium eius, qui non petit sibi debitum. Covarr. cit. §. 12. num. 4. concl. 4. Molin. cit. dis. 78. num. 15. Imò interruptitur etiam per traditionem pignoris, vel per exhibitionem novæ exactionis, quæ à debitore creditori fiat, cit. §. Imò, & illud; quia est nova debiti confessio, & obligatio. Mol. c. l.

CXXXV. Ceterum circa interruptionem præscriptionis plura præterea notanda occurrunt. Nam primò, si præscriptio, siue naturaliter, siue civiliter sit interrupta, eâ postea, cessante impedimento, à bonæ fidei possessore denuo inchoari potest; ut tradit Covarr. cit. §. 12. num. 6. & 7. Idque fatentur omnes, si præscriptio sit interrupta naturaliter, modò adfit bona fides: idemque dicendum, si sit interrupta civiliter. Verumtamen, si litem sit contestata, requiritur tempus 40. annorum computandum à die, quo Actor destitit à lite prosequenda, ut actio præscribatur; ut habetur in l. ult. C. de præscr. 30. vel 40. annor. Unde, si intra id tempus 40. annorum ipse Actor, vel eius heredes actionem iterum intendant, & in iudicio vincant, res, licet fuisset præscripta, debet eis restitui. Molin. cit. dis. 78. num. 22. Lugo c. l. n. 154.

Notandum secundò. Per excommunicationem latam in Bulla Cœnæ Domini, & singulis annis promulgari solitam contra occupantes, & detinentes bona ad Ecclesiam Romanam spectantia non interruptitur præscriptio; quia ea fertur solum contra possessores malæ, non bonæ fidei, qui probabiliter iudicant, illam censuram ad se non pertinere. Covarr. cit. §. 12. n. 5. Molin. cit. dis. 78. n. 18. Ubi rectè notant contra Felinum, quòd, etsi excommunicatio sit quædam admonitio extrajudicialis S. Pontificis, tanquam Iudicis supremi, est tamen solum admonitio generalis comparatione eius, qui bonâ fide possidet; ideòque vim citationis, aut litem contestationis ad interruptendam præscriptionem non habet, nec illum in mala fide constituit: secus est de admonitione particulari certæ personæ: hæc enim æquivalere litem contestationi, & interruptit præscriptionem.

Notandum tertio. Ex eo, quod res possessa ab uno in alium transferatur, non impeditur, seu interruptitur continuatio possessionis, si uterque bonâ fide possideat, sed secundus possessor uti potest accessione temporis, quo possedit ipsius Antecessor, ac si ipsemet possedisset. l. Pomponius; 13. §. Cum quis; ff. de acquir. poss. Palao cit. pun. 22. §. 16. n. 9. Porro, an, & quâ ratione, si interrupta sit præscriptio naturaliter, vel civiliter quoad rei possessionem, etiam censenda sit esse interrupta quoad proprietatem, & vice versâ; tractat Palao c. l. n. 6. & 7. apud què id videri potest. De interruptione præscriptionis dictum est supra n. 29. h. t.

CXXXVI. Assertio 2. Qui impetrat privilegium contrarium præscriptioni, si ea jam completa sit, censetur recedere ab illa, eique renunciare: sin autem præscriptio completa non fuit; tunc interruptitur, & impeditur cursus illius; quia post impetratum privilegium cessat bona fides; adeòque possessor deinceps ob malam fidem præscribere non potest; prout sumitur ex c. Veniens; 19. h. t. Nam ortâ controversiâ inter Abbatem S.

X x x

Martin

„ Martini de Pannonia, & Vespriensem Episcopum  
 „ super decimis, & alijs quibusdam juribus spirituali-  
 „ bus Simagienfis Parochiæ, & Comitatus: Abbas  
 „ postulabat, ut Episcopus, nec per se, nec per alium  
 „ impediat, quod minus decimas ex illis locis percipiat,  
 „ juxta privilegium Papæ Paschalis, & S. Stephani  
 „ Regis (quoad temporalia, quæ Rex donaverat; quia  
 „ dedit locum, in quo Monasterium, & Capellæ con-  
 „ structæ erant. *Gl. hic V. Regis; junct. Gl. marg. lit. A.*  
 „ & *Hofstiens. V. eod.*) Episcopus verò decimas illas,  
 „ quippe intra Diœcesis suæ terminos constitutas, ab  
 „ Abbate, qui eas detinebat, restitui petijt: nisi jure  
 „ specialieas sibi competere probaret (quæ fuit legiti-  
 „ ma petitio, juxta c. 2. *de restit. spoliat. in 6. & c. 1.*  
 „ *h. t. in 6.*) Quod verò ad aliâ Episcopalia jura at-  
 „ tinebat, producta fuerunt privilegia à summis Pon-  
 „ tificibus Paschali, & Alexandro Monasterio con-  
 „ cessa, in quibus continebatur, quod Clericis di-  
 „ ctarum Ecclesiarum, & Capellarum ad Monaste-  
 „ rium pertinentium Christma, Oleum sacrum, Con-  
 „ secrationes Altarium, Basilicarum, Ordinationes  
 „ Clericorum, qui ad SS. Ordines promovendi essent,  
 „ à Diœcesano, videlicet Vespriensi Episcopo, pete-  
 „ rent, si is Catholicus esset, & gratiam Sedis Aposto-  
 „ lica haberet (id est, in communionem cum Romana  
 „ Ecclesia permaneret, non excommunicatus, suspen-  
 „ sus, aut interdictus. *Gl. hic V. Gratiam*) atque præ-  
 „ dicta gratis, & sine ulla pravitate, exhibere vellet:  
 „ alioquin à quolibet alio Præsule, seu Episcopo Ca-  
 „ tholico ea recipere possent. Sed adversus hæc privi-  
 „ legia Abbas produxit aliud amplius privilegium à  
 „ Clemente Papa concessum, vi cuius possent Clerici  
 „ in Ecclesijs, & Capellis pertinentibus ad Monaste-  
 „ rium, supradicta spiritualia, à quocunque vellent  
 „ Episcopo recipere. Verùm Innocentius III. hæc  
 „ respondit, privilegium istud non rectè allegari,  
 „ cum per illud prioribus privilegij non derogeretur;  
 „ quia nullam de ijs mentionem facit: præsertim,  
 „ cum in privilegio Clementis inserta sint hæc ver-  
 „ ba, *Salvis institutionibus Romanæ Ecclesiæ, eiusque*  
 „ *Legatorum:* neque etiam obstat præscriptio, quam  
 „ Abbas in suum subsidium opponebat (volens sibi  
 „ propter illam plus ex dictis juribus Episcopalibus  
 „ competere) vel enim præscriptio tum consumma-  
 „ ta erat, quando Monasterium privilegium impe-  
 „ travit à Papa Alexandro: & hoc casu Abbas, &  
 „ Monasterium juri per præscriptionem acquisito  
 „ renunciâsse censetur: præsertim, quia Abbas co-  
 „ ram Innocentio III. usus fuit privilegio Alexandri:  
 „ quod tamen intentioni eius, quoad istum articu-  
 „ lum, contradicit. Vel præscriptio nondum fuit  
 „ consummata, sed in processu erat; & tunc, quia  
 „ post impetratum privilegium Abbas, & Monaste-  
 „ rium bonam fidem non habuit; ideo secundum  
 „ Canones præscribere non potuit.

CXXXVII. Notandum hæc primò. Si quis  
 prius impetravit privilegium, cum certa moderatione,  
 seu restrictione; sed postea impetret aliud privilegium,  
 sine tali modificatione, seu limitatione, in quo nulla  
 sit mentio privilegij prius impetrati; tum non valet  
 privilegium posterius impetratum; prout sumitur ex  
 hoc c. nam Abbas, & Monasterium exhibuit prius pri-  
 vilegium Papæ Paschalis, & Papæ Alexandri, in quibus  
 continebatur, quod Clerici Ecclesiarum, vel Capel-

larum ipsius Monasterij possit recipere Ecclesiastica  
 Sacramenta ab Episcopo Diœcesano, si Catholicus  
 fuerit, & Communionem Sedis Apostolicæ habuerit  
 & gratis ea contulerit; alioquin ab alio, à quo im-  
 puerit, eadem liberè recipere possint. Sed postea  
 idem Abbas, & Monasterium impetravit aliud privi-  
 legium à Papa Clemente, in quo ipsi Monasterio sine  
 concessum amplius privilegium, sine moderatione  
 prioris privilegio adiecta; nempe, ut à quocunque  
 Episcopo Catholico possint recipere Ecclesiastica Sa-  
 cramenta, quod non valet; quia de prædictis privi-  
 legijs Paschalis, & Alexandri nullam faciebat mentio-  
 nem. *Gl. hic V. Infra; & V. Clementis. Abb. num. 4.*  
 Ratio est; quia, si Pontifex scivisset, vel recordatus  
 fuisset, se prius privilegium modificatum dedisset, per  
 quod jus conferendi Sacramenta Episcopo retenta-  
 rum fuit, cui etiam jure communi competat, non con-  
 cessisset postea secundum privilegium, sine tali mo-  
 deratione. *Innoc. in cit. c. Veniens; num. 4.*

Notandum secundò. Si quis præscriptione  
 completâ, privilegium eidem contrarium impetra-  
 ventur ab eo recedere velle, eique renunciare; prout  
 sumitur ex *cit. c. Veniens;* in quo Abbas, & Monaste-  
 rium dicebat, quod Clericis suarum Ecclesiarum,  
 jure præscriptionis, recipere Sacramenta licet, à  
 quo vellent Episcopo: sed in privilegio Papæ Alexan-  
 dri dicebatur, quod primò à Diœcesano suo illa pe-  
 stulare teneantur: ad eoque privilegium, quoad hunc  
 articulum, contradicebat præscriptioni, & ita impe-  
 trando contrarium privilegium, censetur Abbas, &  
 Monasterium renunciâsse præscriptioni. *Gl. hic V. In-  
 tentioni; & Innoc. num. 5. Abb. num. 18.* Neque vero  
 necesse est ad hoc, ut quis antecedenti præscriptio-  
 ni contrariæ, & completæ renunciare censetur,  
 ipsum privilegio impetrato usum fuisse, sed sufficit  
 sola impetratio: nam solus animus saltem ad tacitam  
 renunciationem sui juris sufficit, qui satis præsumitur  
 ex impetratione juris, seu privilegij contrarij; ut tra-  
 dit *Gl. hic cit. V. Intentioni; & Abb. num. 19.* Quod  
 verò in textu huius c. additur, *præsertim, cum privi-  
 legio illo sit usus,* per illam voculam, præsertim, osten-  
 ditur, quod etiam, secluso usu, impetrans privilegium  
 contrarium præsumi debeat tacitè renunciâsse præ-  
 scriptioni completæ. *Abb. hic num. 20.*

Notandum tertio. Si privilegium sit contra-  
 rium præscriptioni, quæ nondum erat completa, sed  
 adhuc correbat; tunc propter malam fidem superve-  
 nientem, impeditur, & interruptitur præscriptio;  
 quia impetrans simpliciter privilegium contrarium  
 præscriptioni videtur fateri, se credere rem ad se  
 non pertinere; prout habetur in fine huius c. *Abb. hic  
 num. 18.*

Notandum quarto. Si privilegium non sit con-  
 trarium præscriptioni antecedenti, tum iterum dis-  
 stinguendum est: nam vel præscriptio erat completa  
 & tunc impetrans privilegium non censetur renunciare  
 præscriptioni, sed videtur illud impetrâsse absolute, &  
 sub eadem forma, sicut ex vi præscriptionis competi-  
 tum, ad maiorem cautelam, & corroboracionem prioris  
 præscriptionis. & juris; ut tradit *Innoc. hic num. 6.*  
 & *Abb. num. 18.* ut, si forè in iudicio exceptio, seu  
 defensio contra Actorem ex uno capite probatur, non  
 possit, ex altero probetur; quia facilius probatur  
 aliquid

aliquid per privilegium, quam per prescriptionem. Vel prescriptio non erat completa, & tunc putat *Abb. c. l. impediri, & interrumpi cursum prescriptio- nis inchoate; quia impetrans privilegium prescribitur esse in mala fide, quamvis de novo possit inchoari prescriptio. Verum probabilis est, quod, etiam si prescriptio non sit completa, possit privilegium, quamvis in alia, & aliquo modo contraria forma impetrari, ad maiorem cautelam, ita, ut sub conditione inservire possit, si videlicet prescriptio de jure non subsistat, neque impediat, aut interrumpatur prescriptio, eod quod impetrans privilegium videatur dubitasse de jure suo; quia tale dubium malam fidem non inducit, si post inchoatam cum bona fide prescriptionem, superveniat, & veritas deprehendi non possit; ut dictum supra num. 58. & notat. Alex. de Nevo in cit. c. Veniens; num. 37. h. t.*

## §. III.

*Quibusnam remedium restitutionis in integrum competat adversus prescriptionem?*

CXXXVIII. Conceditur hoc remedium primò Minoribus XXV. annis adversus prescriptionem, etiam longissimi temporis XXX. vel plurimum annorum, completam, & finitam, idque intra quadriennium continuum, post impletum XXV. aetatis annum, usque ad expletum annum XXIX. computandum à die prescriptiois completæ, & à Minoribus cognita. *l. unic. C. Si adversus usucap. l. ult. C. de temp. in integr. restit. l. ult. C. in quib. caus. restit. in integr. restit. non est. datur autem ob solam læsionem in ætate minore factam, tamen si nulla eorum ignorantia, vel aliud impedimentum interveniret. Molin. rr. 2. de justit. dif. 80. num. 1. Laym. lib. 3. tract. 1. c. 8. n. 20.*

Secundò. Idem beneficium restitutionis simili modo competit Ecclesijs, aliisque pijs locis, post completam prescriptionem XL. vel centum annorum, quod similiter numerari debet à die scientiæ, prescriptionem contra Ecclesiam esse completam; ut colligitur ex c. 1. ibi: *Negligenter omiserit; de in integr. restit. in 6. Covar. in reg. possessor. p. 3. §. 3. num. 4. Mol. c. l. num. 21. ubi addit, quod hæc restitutio datur etiam adversus aliam Ecclesiam, iuxta c. Auditis; §. 5. h. t.*

Tertiò. Etiam Majoribus XXV. annis conceditur restitutio in integrum adversus prescriptionem completam; sed non nisi ex justa causa, ob quam impeditus quis fuit, res, & jura sua, dum contra eum prescriptio currebat, repetere, juxta l. 1. ff. ex quib. caus. Majores; & l. ult. C. de temp. in integrum restituit. Idque procedit, non solum quoad prescriptionem

longi temporis, sed etiam longissimi 30. vel 40. annorum; quia in cit. legibus restitutio majoribus absolute conceditur ex justa, & probabili causa, non quidem secundum rigorem juris communis, sed ex prætoria æquitate. *Palao cit. p. 22. §. 17. num. 3. Datur autem Maioribus quoque quadriennium continuum numerandum à die cessantis impedimenti, ex quo cessavit invincibilis ignorantia prescriptiois; quia ex tunc, & non antea censetur intervenire negligentia petendi restitutionem. Arg. c. 1. & 2. de restit. in integr. & tamen, si impedimentum, & ignorantia cessavit, ante completam prescriptionem, remanente adhuc tempore sufficiente ad interrumpendam prescriptionem per litis contestationem, hoc remedium restitutionis postea non datur ob domini negligentiam, juxta l. Ab hostibus; 10. §. ult. junct. l. seq. ff. ex quib. caus. majores, Covarr. cit. p. 3. §. ult. num. 3. Molin. cit. dif. 80. num. 3. & 4.*

CXXXIX. An autem etiam ex causa justæ, & invincibilis ignorantie detur restitutio in integrum Maioribus, controvertitur. Affirmant communiter DD. apud Covarr. c. l. num. 1. & 2. saltem adversus prescriptionem longi temporis, non autem longissimi, dummodo Maior prober, cum justa, & probabili ignorantia, vel omnino sine sua negligentia, prescriptionem fuisse peractam. *Lesi, c. l. num. 52. Molin. c. l. num. 5. Laym. c. l. num. 22. ubi tamen addit, in hac re cuiusque Tribunalis consuetudinem spectandam esse. Negativam tamen sententiam tenet Fachin. l. 1. controver. c. 69. Palao cit. §. ult. num. 5. quia ex jure non sufficienter colligitur, Maioribus concedi restitutionem contra completam prescriptionem, imò nec Minoribus, & Ecclesijs ex causa ignorantie: tum quia prescriptio æquè præiudicat ignorantibus, & scientibus; ut constat ex c. Vigilanti; §. h. t. & l. ult. C. de prescrip. long. temp. Unde ne prescriptio obsit ignorantibus, longius tempus concessum est absentibus, quam presentibus, ut adversus illos prescribatur: sed plura videri possunt apud AA. cit.*

Ceterum, quamvis concedatur restitutio in integrum, etiam Maioribus, non tamen propterea omnino inutilis erit prescriptio: tum quia non conceditur ultra quadriennium, neque Maioribus, sine legitima causa: tum quia restitutio non impedit, quod minus is, qui prescribit, acquirat dominium rei, quam prescribit, licet revocabiliter; ita, ut interim, dum restitutio non petitur, & conceditur, resque restitutionem repetenti non adiudicatur, ille, qui prescripsit, sit verus dominus rei prescriptæ, & in foro etiam conscientie illam retinere possit; & si intra quadriennium non petatur, postea ab eo repeti amplius non possit. *Molin. cit. dif. 80. num. 6. & 7.*

## TITULUS XXVII.

## DE SENTENTIA ET RE IUDICATA.

Expeditis ijs, quæ tum ad processum Iudicii, tum ad probationes, & exceptiones spectant, sequitur, ut nunc agatur de ipsa sententia Iudicis, ad quam ferendam, post conclusionem in causa, Iudex procedere debet: & quia sententia lata, si ab ipsa legitime non sit appellatum, transit in rem iudicatam; ideo inscribitur hic Titulus de sententia, & re iudicata, qui extat etiam in Sexto, & Clementinis.